

Ignacy Różycki

Necessitudines animadversionesque cleri Poloniae Breviarium Romanum reformandum spectantes

Collectanea Theologica 26/1, 63-127

1955

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

IGNACY RÓZYCKI

NECESSITUDINES ANIMADVERSIONESQUE CLERI
POLONIAE BREVIARIUM ROMANUM REFORMANDUM
SPECTANTES

Totius orbis clerus saecularis et plures congregationes religiosorum breviarium Romanum recitant, quod a s. Pio X bulla „Divino afflatu“ reformatum est. Sancta Sedes tamen, simulac breviarii Romani reformati editio typica publici iuris fieret, 23.III.1914, et antea iam in memorata bulla „Divino afflatu“ animadvertere non omisit breviarii reformationem definitivam semper adhuc desiderari. Quae definitiva reformatio — memoratorum S. Sedis documentorum iudicio — exigere debet: a) Psalterii novam versionem latinam, b) criticam editionem vulgati textus latini S. Scripturae, c) lectionum historicarum a fictitiis fabulis expurgationem, d) hymnorum quantum ad latinitatem et metrum castigationem, e) homiliarum et lectionum e scriptis SS. Patrum delectum meliorem. Plurium annorum et plurium hominum diuturnus labor ad haec omnia perficienda necessarius est. S. Pius X autem, quia sacerdotibus in animarum cura occupatis quantocius breviarium suppeditare cupiebat, quod illis non oneri sed adiutorio in vita apostolica esset, illam quam annuntiaverat definitivam breviarii reformationem ad ulterius tempus distulit.

Psalterii nova versio latina, a professoribus Pont. Inst. Bibl. Romani, iussu Pii XII elaborata, anno 1945 confecta et typis mandata est. Qua versione „Pio XII die 24.III.1945 „Motu proprio“ benigne concedente, omnes sacerdotes cum in publica

tum in privata breviarii recitatione uti posunt. Quo facto Summus Pontifex expressisse videtur mentem iam confectam esse partem laboris ad definitivam breviarii reformationem necessariam. Vulgatae, qua utitur breviarium, editio critica in dies celerius in lucem prodit, superatis difficultatibus quae initio obstabant. Rerum gestarum periti, hisce quadraginta annis a Pio X breviarium reformante, non pauca elucidaverunt quae cursum vitae sanctorum spectant, de quibus in secundo nocturno breviarium legit. Quibus perspectis a veritate non aberrare videretur, qui putet tempus iam advenisse propitium illi iamdiu annuntiatae et expectatae definitivae reformationi breviarii perficiendae. Voces, quae ex omnibus catholici orbis partibus audiuntur, enuntiationesque non solum theologorum verum etiam sacrorum Antistitum immo et Eminentissimorum virorum clare indicant S. Sedem huic definitivae reformationi praeparandae iam manum apposuisse.

Breviarium definitive reformatum necessitudinibus eorum sine dubio accommodabitur qui eo utentur: talem prosequeretur scopum Pius X cum breviario reformando manum apponeret, talis scopus ab initio totius breviarii formationem ad instar supremi principii regebat. Clarum ergo est, cur S. Sedes diversarum nationum viros non solum disserere sinit sed etiam libenter disserentes audit de iis breviarii variationibus, quae cleri necessitudinibus melius satisfacerent.

Decima septima pars omnium fidelium catholicorum totius orbis gentis Polonae catholici sunt. Expedi igitur ut huius non minimae totius catholicitatis partis necessitudines breviarium reformandum spectantes S. Sedi notae fiant eo vel magis quod et populus et clerus Polonus speciali pietate pollet et in specialibus conditionibus curam animarum exercet. Animadversiones, quae inferius exponentur, in facultate theologiae Universitatis Jagellonicae Cracoviensis primo elaboratae, deinde bis — 19.II. et 19.III. 1953 r. — coram coetu cleri Cracoviensis, in quo et canonici et theologiae professores et parochi aderant, expositae, discussae atque approbatae sunt.

1. De ratione breviarii reformandi

Ex iis septem quae ab auctoribus Pianae reformationis postulabantur pro breviario definitive reformando, unum iam nuper perfectum est, nova nempe versio latina Psalterii; alterum — editionem dico Vulgatae — in progressu est; ex reliquis quinque in introductione numeratis unum est, quod nullam ambiguitatem admittat et quantum ad necessitatem et quantum ad modum reformandi. De quo *primum postulatam* huiusce disertatiunculae enuntiatur: quod latinitatem et metrum castigandi sunt hymni non solum antiquioris verum etiam novissimae compositionis.

Novissimorum etenim hymnorum nonnulli, e. g. hymni in officio apparitionis B. M. V. in Lourdes, et latinitatem et sensum peiorem prae se ferunt quam plures antiquiores.

Quodsi quaeratur de modo reformandi reliqua e numeratis initio, disquisitio primum instituenda est de ipsa ratione totius breviarii reformandi.

Reformatio quaelibet tunc facilis admodum est, quando archetypus aliquis extat, ad quem res reformanda reduci potest. Hac ratione gregorianus cantus liturgicus iussu Pii X reformatus est: quaesitae et inventae sunt primo melodiae gregorianae periodi qua gregorianus cantus maxime ubique floruit; concludebatur deinde has melodias genuinum cantum gregorianum praesentare; iussum denique est omnes liturgicos textus ad has melodias cani. Explicata reformandi ratio applicari non potest nisi textibus quibus breviarium constat et Psalterii nova translatio ex hebraico textu iussu Pii XII confecta exemplum eius est.

Sed eadem omnino rationes, quae militabant pro nova translatione Psalterii ex hebraico archetypo, imperative suadent etiam, ut omnes textus S. Scripturae, qui in breviario occurrunt, secundum hebraicum vel graecum textum primigenium emendentur, quotiescumque mentem S. Scripturae vel deformant vel imperfecte reddunt. Supremus legislator sine dubio vult, ut recitantes breviarium, versione latina mediante,

genuinum S. Scripturae sensum attingant. Ex altera parte etiam certum est iam nunc Vulgatam versionem latinam multis in locis S. Scripturam male interpretare; nullus est Veteris et Novi Testamenti liber, in quo Vulgata alicui saltem loco spurium non imponat sensum; immo videtur interpretationis menda in iis libris S. Scripturae plura esse, qui maximi momenti sunt, in epistolis — dico — Paulinis et evangeliis. Inter Psalterium et reliquos S. Scripturae libros baes differentia adest, quod Psalterium unaquaque hebdomada integrum recitatur, reliqui vero libri per totum annum non nisi in maioribus et minoribus excerptis leguntur. Ex quo concluditur ad breviarium reformandum non esse necessariam emendationem omnium integrorum librorum S. Scripturae, sed sufficere castigationem illorum locorum, qui in reformato breviario legendi proponentur. Versionis latinae emendatio duplici via procedere potest: vel nempe Vulgatae veteri versio recenter ex textibus primigeniis confecta substituetur vel, vetere Vulgata retenta, ii soli loci emendationi subicientur, qui genuinum S. Scripturae sensum depravant. Quae secunda via omnino suadenda videtur; nam et celerius securiusque absolvi potest et textum vetustum, traditione quindecies saeculari venerandum, retinet, qui latinitatem vivam christianorum saeculi quinti nobis ad oculos ponit. Quodsi nova de integro versio latina nunc confienda esset, et longius tempus requireretur et loco latinitatis vivae saeculi quinti, in Vulgata vetere perpetuatae, latinitas mortua, scholaris artificiosaque hodierni temporis nobis daretur. Hac via igitur procedendum videtur: eligentur primo loci S. Scripturae legendi in breviario reformato; deinde eorum sensus, si qui corruptus a peritis iudicetur, ad textus primigenios, hebraicum graecumque, castigabitur; quodsi vetus Vulgata S. Scripturae sensum genuinum reddat, omnino immutata conservabitur.

Postulatur itaque secundo: in lectionibus, capitulis antiphonis, responsoriis e S. Scriptura desumptis vetus Vulgata retinebitur, omnino tamen in iis locis emendabitur, qui genuinum sensum S. Scripturae male reddunt.

Capitula praesertim ex Paulinis epistolis sumpta attente quoad versionis rectitudinem scrutabuntur et e reformato breviario antiphonae inintelligibiles evanescent, quarum e. gr. est haec, quae in officio s. Joseph cantatur: „Filius accrescens Joseph...”

Reformandi ratio, quae ad archetypum redit, non potest tamen toti breviario reformando applicari. Nemo namque est qui nesciat S. Scripturae textus originales esse unicum archetypum secundum quem versiones quaecumque corrigi debeant. Nihil simile de quacumque praeterita forma breviarii Romani affirmari potest. Breviarium Romanum a tempore s. Benedicti abbatis, qui iure breviarii Romani pater habetur, usque ad hodiernam diem essentielles variationes, mutationes additionesque subiit, ita ut 5 ad minus typicae eius formae ante reformationem Pii X notae sint: primigenium s. Benedicti officium divinum, officium benedictinum cum additionibus Benedicti de Aniano tempore dominationis carolingianae introductum, curiae Romanae officium abbreviatum, seu breviarium proprie dictum, a s. Francisco Assisiensi eiusque ordine adoptatum et per orbem propagatum, brevissimum breviarium iussu Clementis VII a Francisco Quignonez, cardinali S. Crucis, introductum et a Pio V abolitum, breviarium denique a s. Pio V iussu concilii Trigentini reformatum et toti Ecclesiae impositum.

Historismi, qui dicitur, est praeteriti temporis institutiones restituere aliis quibusque rationibus posthabitis. Cum 5 breviarii formae praeteritae numerentur, valde inter se diversae, ut quaeque ex illis pro archetypo eligatur, rationes obiectivae, non historicae, ponderentur necesse est et hoc modo historismus a reformando breviario excluditur. Contra historismum in reformando breviario etiam Psalterium maxime militat, quod neglectis omnibus versionibus antiquis, Psalterio nempe Romano, Gallicano, immo et „hebraica veritate” s. Hieronymi, iussu Pii XII recentissime de hebraico in latinum translatum in breviarium Romanum introductum est. Summus Pontifex recentissimam versionem in breviarium introducens sine dubio non rationes historicas sed utilitatem considerabat, quam reci-

tantes breviarium ex nova versione referent. Accedit et alia contra historismum ratio: si omnes 5 formae breviarii in usu aliquo tempore fuerant et postea derelictae sunt, omnes aliquibus defectibus laborabant, secus in usu hodie adhuc essent; ex hoc autem patet nullam praeteritam breviarii formam immutatam pro archetypo reformandi breviarii sumi posse.

Alia proinde reformandi ratio eligenda est: consideranda sunt nempe principia, quibus breviarium componendum et antiquitus nitebatur et nunc niti debet; quae principia deinde comparanda sunt cum necessitudinibus spiritualibus eorum, quibus breviarium reformatum destinabitur. Unica via haec est, qua simul et spiritus — si non littera — venerandae vetustaeque traditionis salvabitur et hodierni temporis necessitudines in breviarium reformandum realem influxum exercent. Haec etiam via prudentis rationis est, quae dictat non esse destruendum nisi quod certe evidenterque destruendum constat. Haec via denique traditioni Ecclesiae maxime consona est, quae evolutionem et admittit et desiderat, revolutiones autem horret.

2. De breviarii antiquitus compositi principiis

Breviarium Romanum, antequam a Pio V imponeretur, ultro ab orbe romano-catholico universaliter acceptum est; ex quo liquide patet id necessitudinibus spiritualibus non solum religiosorum verum etiam cleri saecularis diversarum nationum congruisse: secus enim neque universaliter acceptaretur neque acceptatum per tot saecula in usu maneret. Vita spiritualis duas habet causas subordinatas, naturam et gratiam. Exigentiae, quae ex gratiae natura defluunt, certissime eadem nunc atque ante 15 saecula sunt, neque natura humana, quibusdam accidentalibus exceptis, mutata est. Ex qua generali consideratione concluditur breviarium Romanum, quale nunc post Pii X reformationem recitatur, etiam nunc — quantum ad essentialia — hodierni et futuri temporis necessitudinibus bene

convenire. Novum breviarium reformatum mox componendum non erit itaque totaliter novum sed quoad essentialia breviario antiquo assimilabitur. Duo extrema in reformatione breviarii excludentur: et historismus et „revolutionismus“.

Breviarii essentialia in principiis resident, quae eius compositionem regebant. Hodiernum breviarium Romanum non est nisi evoluta et in quibusdam abbreviata forma officii divini a s. Benedicto abbate compositi, proindeque eadem sunt utrobique compositionis principia. Ut sciatur, quid in reformato breviario mox componendo ex antiquo retinendum, quidque reiciendum sit, considerandum est separatim unumquodque principium regens antiquum breviarium a tempore s. Benedicti videndaeque sunt conclusiones practicae exinde sequentes; quae omnia comparanda sunt cum necessitudinibus hodierni temporis. Ex his autem necessitudinibus ponderandae sunt quae universalitate et perpetuitate pollent: neque enim pro unica gente neque pro uno aano breviarium mox reformandum coponetur.

Totum Psalterium unaquaque hebdomada recitare principium erat iam officio divino a s. Benedicto pro monachis composito. Reformatio breviarii a Pio X facta principium hoc ad plenum vigorem restituit; immo in hoc principio restituendo reformationis huius maxima gloria esse videtur. Quo enim magis Psalterii singuli hymni cum reliquarum religionum libris sacris et cum poeticis libris profanis comparantur, eo magis apparet Psalterium longe excellere et quantum ad rectam notionem Dei et quantum ad profunditatem sinceritatemque devotionis erga Deum. Accedit, quod Psalterii hymni Spiritu S. inspirante conscripti sunt: qui hymnis Psalterii Deum laudat, ipsius Dei auctoris canticis eum laudat. Hac consideratione pietas recitantis adhuc magis augetur. Rationes ergo omnes pro toto Psalterio in una hebdomada recitando principales sunt.

Ex altera parte unica affertur ratio pro abolendo in novo breviario illo principio, nuper a Pio X in breviarium reintroducto; quae ratio est nimia breviarii longitudo, si totum Psal-

terium in unaquaque hebdomada integrum recitatur. Animadvertendum est tamen nimiam longitudinem breviarii non posse a priori determinari sed fundari in rationabilibus necessitudinibus conditionibusque recitantium. Ulterius vero monstrabitur necessitudines cleri non postulare nisi secundarias levesque mutationes in hoc principio applicando, quibus introductis breviarium numquam nimia longitudine laborabitur, quamvis — quibusdam exceptionibus admissis — totum Psalterium in unaquaque hebdomada integrum recitetur. Considerandum etiam est Pium X, hoc principium breviarii componendi restaurantem, in eo applicando exceptiones admississe: officia festiva e. gr. proprios psalmos habentes efficiunt, ut re ipsa non recitetur integrum Psalterium illis hebdomadibus quibus occurrunt. Omnibus itaque consideratis in novo breviario componendo via quam Pius X ingressus est sequenda esse videtur, sed in exceptionibus in memorato principio applicando necessitudines cleri diligentius adhuc considerabuntur, ne breviarium ob nimiam longitudinem recitantibus umquam taedio onerique sit.

Quapropter postulatur tertio: novo breviario componendo principium erit totum Psalterium integrum unaquaque hebdomada recitare ; ab hoc principio applicando illae exceptiones admittendae sunt, sine quibus breviarium oneri taedioque esset clero in cura animarum occupato.

Alterum principium breviarium Romanum ab initio regens erat singulas officii horas unitates constituere varietate componentium partium pollentes. Omnis hora proinde complectebatur praeter psalmos hymnum horae diei convenientem, capitulum e S. Scriptura desumptum, responsiones breves orationesque. Haec in unitate varietas maxime causa fuit, cur officium benedictinum universaliter acceptum Romani breviarii origo fuerit. Haec enim in unitate varietas et psychologicis et theologicis rationibus maxime satisfacit; psychologicis quidem, quia monotonia in ratione orandi hoc modo evitatur neque fatigatur mens, quae in hymnis metro excitatur poetico, in psalmis influxum inspirati textus subit, in capitulis spiritualis

doctrinae medullam haurit, in responsionibus brevibus actus iaculatorios virtutum elicit, in orationibus divinum auxilium implorat; theologica vero ratio hanc in unitate varietatem maxime suadens affirmat Deum esse laudandum omnibus modis possibilibus. Utraque, et theologica et psychologica, ratio in natura humana eiusque essentiali ordine ad Deum fundatur et ideo tamdiu valebit, quamdiu natura humana eadem permanserit. Concludendum exinde est hoc secundum principium antiqui breviarii in novo componendo retinendum omnino esse.

Postulatur itaque quarto: omnis hora breviarii mox componendi non secus ac antiqui, variis constabit elementis, quae, sicuti in antiquo breviario, variabuntur secundum qualitatem officii.

Unicum quod optandum remanet est, ut novo breviario hoc principium perfectius quam antea applicetur. Saepius aequo e .gr. repetuntur nunc homiliae ss. Patrum e communi sanctorum, quae de cetero non semper optime quoad contentum delectae sunt. Huic defectui quam faciliter mederi possit, infra monstrabitur.

Breviarium Romanum ab initio accommodabatur vitae officiiisque recitantium. Hoc principio ductus s. Benedictus abbas officium ita disposuit, ut horae diurnae, religiosis tunc incumbentibus variis laboribus, breviores esset. Idem principium effecit, ut officium Romanae curiae benedictino brevius fieret et verum breviarium officii constitueret. Hoc principio Pius X ducebatur abbrevians nimiam longitudinem officiorum dominicalium ferialiumque. Quodsi ne minimum quidem dubium sit, quin hoc principium breviario mox componendo applicandum sit, diligentissime tamen consideranda sunt ea omnia, e quibus constet; considerandum est, qualis longitudo breviarii accommodatissima sit vitae cleri, curam animarum exercenti; nam breviarium Romanum principaliter saeculari clero destinatur, cuius est curam animarum exercere.

Principii instar haec quoad breviarii longitudinem statuenda videntur: si omnes homines ad perfectionem vocantur, vocatio haec magis quam ceteros homines afficit sacerdotes,

servos Dei. S. Franciscus Salesius opinabatur unam horam orationis unoquoque die necessariam esse laico, qui ad perfectionem vitae moralis adspirat. Sacerdotalis vitae genus difficilior est, dum sacerdotes in saeculo viventes saeculo renuntiant, per castitatem e caelibatu fluentem profitentes se „quae sursum sunt“ quaerere non quae super terram et sese divino servitio unice mancipare. Ut vocationi suae fideles sint, maior illis semper pugna cum saeculi illicebri ac proinde maior illis divina gratia necessaria est. Quam ut nanciscantur, unicum habent medium: a Deo gratiam oratione efflagitare. Certissimum ergo videtur sacerdotes plus quam laici orationi instare debere. Quodsi iudicante s. Francisco Salesio una hora laicis diurnam quantitatem orationis constituat, duabus integris horis videtur diurnae orationis aptam quantitatem pro sacerdotibus ad perfectionem sacerdotalis vitae tendentibus constare. Postulat autem C. J. C. ab omnibus clericis, ut omni die meditationi vacent, ut SS. Sacramentum visitent, ut rosarium B. M. V. recitent, sed non determinat quantum tempus memorata pietatis exercitia durare debeant. Licet ergo clericis has spirituales exercitationes ita disponere, ut omnes, simul sumptae, una cum celebrata Missa unam horam integram non multum superent. Ex quo sequitur breviarium ita componendum esse, ne eius recitatio ultra unam horam protrahatur. Si breviarium a Pio X reformatum ab iis, qui neque celeritati neque lentitudini in recitando student, una hora integra et quarta parte horae absolvitur, breviarium reformatum debet brevius esse hodierno quarta circiter parte, ut in una circiter hora absolvatur in iisdem conditionibus recitandi.

Talis modica breviarii abbreviatio obtineri potest faciliter intacto Psalterio a Pio X per rebdomadam disposito. Si Pater, Ave, Credo, quae post omnes horas recitantur, omittatur, officium breviabitur 4 minutis; quodsi omittantur etiam in privata recitatione Pater, Ave, Credo ante horas canonicas praeterquam initio officii, 3 minutis ulterioribus brevius erit. Haec in privata recitatione bene omitti possunt, quia nulla ratio interna hanc recitationem universaliter ante et post omnes horas imponit et

breviarii historia docet talem generalem usum posterioris nempe medii aevii additionis esse. Eorum omissio ergo neque contra spiritum neque contra historicam breviarii primitivi traditionem erit. Praeter hanc absolutam relativa etiam abbreviatio introducenda est. Haec in eo sistet, quod prima, vesperae et completorium ita componentur, ut privatae matutinae et vespertinae preces per se et re vera superfluae eveniant. Talis autem adaptatio primae, vespararum completoriique quasi sine ulla allongatione obtinebitur, prout infra in specialibus rubricis exponetur, et totalem obligatoriam quantitatem diurnam orationis ulterioribus 5 circiter minutis minorem reddet. Quibus conformiter.

Postulatur quinto: officium divinum ita abbreviandum est, ut intra unam horam commode recitari possit. Talis abbreviatio, quae et spiritui et traditioni historicae breviarii conveniat, haec videtur, ut — primo — in privata recitatione, praeterquam initio, ommittantur ante et post horas Pater, Ave, Credo, ut — secundo — privatae matutinae et vespertinae preces per primam, vespas et completorium superfluae reddantur.

Sermo est de breviarii privata recitatione, quia breviarium Romanum sacerdotibus saecularibus per se destinatur, quorum recitatio communissime privata est.

Aliud brevitalis remedium etiam rubricarum simplicitati consulet. Occurrunt nempe nonnumquam plures, etiam quatuor vel quinque, commemorationes, non raro ex eodem communi desumendae. Ex quo intricata problemata oriuntur et praecessionis singularum commemorationum et inveniendi convenientes antiphonas versiculosque. In his autem tempus teritur et ab eo, qui calendarium componit, et ab iis, qui breviarium recitant. Huic incommoditati faciliter occurritur ac simul brevitali simplicitatique breviarii consulitur.

Postulando sexto: in breviario reformato nullae umquam fient commemorationes praeter unicam commemorationem sequentis vel praecedentis in vesperis.

Haec regula rigore applicanda est, ut breviarium brevius simpliciusque evadat libereturque a commemorationibus sanctorum, de quibus quandoque praeter nomen quasi omnia ingorantur. Quodsi quaeratur, quomodo haec regula rigore applicata breviarium tempori liturgico anni accommodetur, respondetur accommodationem perfectiorem adhuc quam nunc est etiam omnibus commemorationibus praetermissis possibilem, immo facilem esse; quod monstrabitur inferius, ubi de breviario tempori liturgico accommodando sermo erit. Quodsi consideres antiphonas finales B. M. V. non postulari in privata recitatione dicendas nisi semel in die, videbis futurum breviarium intra unam horam commode recitatum iri.

Breviarium, contentum intra unam horam, non solum spiritualibus exigentiis sacerdotalis status, verum etiam reali sacerdotum possibilitati, physicae et morali, per se et generaliter certe convenire videtur. In vita sacerdotum curam animarum exercentium occurrunt tamen periodice dies, in quibus breviarii recitatio propter multas in cura animarum occupationes sacerdotibus faciliter oneri fieri potest. Haec dies autem sunt omnes dominicae et festa praecepta, quibus et divinum cultum peragere et contiones habere et confessiones fidelium audire debent. Talibus diebus adnumerandae sunt etiam vigiliae ante maiora festa Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, quibus — ut in Polonia generalis moris est — fideles turmatim ad confessionem accedunt. Tale aestimandum est etiam totum tempus ad confessionem communionemque paschalem utile, quod propter multum plebis concursum in Polonia universaliter a dominica in quinquagesima usque ad dominicam SS. Trinitatis extenditur. Quamquam dominicale officium iam a Pio X necessitudinibus sacerdotum occurrente abbreviatum est, generalis tamen sacerdotum sensus est breviarium adhuc nimis longum esse et dominicis et omnibus diebus, qui propter pastorales occupationes diebus dominicis aequiparantur. Tales autem sunt omnes dies superius enumerati et periodice recurrentes. Qui quia periodice recurrunt, a legislatore in praescriptis expresse tractandi sunt. Animadvertendum est hos

dies ad sacerdotes pertinere curam animarum exercentes ideoque praescripta, hos dies spectantia, non nisi privatam breviarii recitationem affectura esse. Qui breviarium choro recitare debent, non sunt cum animarum cura tam arcte iuncti, ut praescripta haec recitationem choralem tangant. Quibus consideratis.

postulatur septimo: omnibus diebus dominicis, omnibus festis de praecepto, omnibusque diebus a feria quarta Cinerum ad dominicam SS. Trinitatis inclusive, in vigilis Nativitatis Domini, Assumptionis et Omnium Sanctorum, de omnibus horis breviarii non erunt de praecepto nisi Matutinum, Prima, Vesperae et Completorium.

Ut postulatum septimum plenam efficaciam habeat, suppleatur

postulato octavo: omnis nocturnus matutini, independentem a qualitate officii, semper tribus psalmis constabit.

Septimum postulatum ultimatim ab officio ordinis Praedicatorum et originem et exemplum sumit, qui, quia ab initio laboribus apostolicis incumbibat, adhuc hodie toto paschali tempore non nisi unicum nocturnum recitat; octavum autem postulatum sese ad paschale officium refert, in quo nocturnus tribus psalmis et tribus lectionibus tantum constat. Expostulatur vero, ut enumeratis diebus Matutinum cadat sub praecepto propter medullam spiritualis doctrinae in lectionibus contentam, ut Prima item sub obligatione ponatur, quia precum matutinarum munere secundum inferius dicenda fungetur, Vesperae autem et Completorium ideo stricte praecipiantur, quia munus vespertinarum precum exercebunt. Ceterae horae, Laudes — dico — horaeque minores, enumeratis diebus non erunt nisi ad libitum dicendae. Qui enumeratis diebus notabilem defatigationem propter pastorales labores sentien, poterint sine ulla culpa illas horas omittere. Hoc modo quantitas orationis, ad quam lex imponens recitationem breviarii obligat, minorabitur omnibus illis diebus ulterioribus 20 minutis: quae minoratio et alleviatio oneris breviarii recitandi tranquillitati conscientiarum sacerdotalium non parum conferet. Vi postulati

octavi, denique, officium feriale temporis Quadragesimae adhuc brevius erit, cum unicum nocturnum, tribus psalmis et tribus lectionibus tantum constantem, habeat. Addendum remanet, propter simplicitatem rubricarum servandam, etiam in horali recitatione omnes nocturnos tantum tres psalmos lectionesque habere necesse esse.

Advertas postulatum septimum historismo maxime opponi: neque enim illae borae breviarii rationabiliter omnino legendae urguntur, quae origine historica vetustiores dignioresque censentur, sed quae maioris sunt utilitatis pro recitante.

In vita sacerdotum occurrunt non periodice dies, quibus occupationes pastorales quasi totum utile tempus occupant. Non periodice occurrentes non possunt in rubricis breviarii generalibus contineri, debent tamen a legislatore in stabilienda obligatione breviarii recitandi attente considerari. Breviarii recitatio est certe tam magnum opus, ut sine dubio sub gravi obligare debeat. Ut autem in illis extraordinariis diebus laboris pastoralis conscientiae sacerdotum conculatur et onus officii divini tolerabilius sit, huic generali normae obligationis specificationes modificacionesque a legislatore apponantur oportet. Quae his principiis regi videntur:

Sacerdotum saecularium est curam animarum exercere, quae plus psychicis quam physicis actionibus constat. Rei medicinalis periti affirmant autem psychicum laborem diurnum 8 horarum esse normam, ultra quam per longius tempus sine sanitatis periculo labor psychicus protrahi nequit. Cum Ecclesia pia mater sit, eius menti conforme videtur, si obligatio breviarii cesset omnibus diebus quibus animarum cura 8 horas durabit. Sub animarum cura intelligantur contiones, confessiones, infirmorum visitationes, doctrinae sacrae, etiam in scholis, explicatio, pastoralis visitatio parochianorum, servitii divini in ecclesia celebratio. Horae autem in supputatione sumantur vel communes vel scholares, si de doctrina sacra tradenda agatur. Quod si animarum cura septem communes vel scholares horas duret, etiam tunc sacerdos ab obligatione breviarii recitandi — si praeter Missam aliud exercitium spirituale, e. gr. meditatio-

nem vel SS.-mi visitationem — persolverit: hoc modo enim 8 circiter horae coalescent.

Nulla hucusque ratio allata est, sive interna — ex officii divini qualitate — sive externa — ex legislatoris expressa voluntate — quae evidenter probet omissionem unius canonicae horae grave peccatum constituere. Talis insuper rigor non videtur menti mitissimae matris Ecclesiae convenire. Potius ergo ad generalia theologiae moralis principia recurrendum est. Secundum quae obligationi breviarii recitandi substantialiter satis facit, qui circa 3 quartas eiusdem partes recitat: tres quartae enim partes iam ad integram rem accedunt. Proinde ille, qui non nisi tres circiter quartas partes recitavit, reliqua parte-omissa, non erit reus substantialis omissionis et consequenter graviter non peccavit. Ex his considerationibus fluit sequens regula: Omissio culpabilis non maioris quam tertiae partis breviarii leve tantum peccatum constituit. Cum obligatio breviarii originem sumat a lege ecclesiastica, quae in magno incommodo non obligat, ad reddendam incupabilem omissionem non maioris quam tertiae partis breviarii sufficit incommodum notabile quidem, sed adhuc leve. Unde regula poni potest: qui 8 horarum duas tertias partes, seu ultra 5 horas communes vel scholares in cura animarum occupatus notabiliorem defatigationem eo die sentit, a recitanda breviarii tertia parte excusatur. Tertia autem breviarii pars, a qua recitanda tunc excusaretur, intelligenda est per respertum ad officium integrum, quod secundum rubricas eo die dicendum est. Specificationes mitigationesque obligationis breviarii recitandi, quae principiis universaliter in theologia morali admissis nituntur et am am expositae sunt, efficient, ut onus breviarii adhuc levius fiat illis diebus, quibus sacerdotes diuturnius operosiusque curae animarum incumbunt. His praelibatis

postulatum nonum sit: recitandi breviarii obligatio gravis extenditur ad breviarium ut totum, non autem ad singulas eiusdem partes, ita ut — primo — omissio tertiae partis non constituat nisi levem culpam et — secundo — excusetur nota-

bilioribus incommodis iis praesertim diebus, in quibus sacerdos ultra 5 horas curae animarum operam dat.

Breviarium Romanum principaliter saeculari clero destinatur et maxima ex parte privato modo recitatur. Moralis obli- tet. In novo breviario cessabit ergo omnis obligatio, quae e publi- gatio recitandi itaque privatae recitationi accommodetur opor- ca recitatione ortum sumit, e gr. obligatio recitandi 3 nocturnos. matutini non interiecto maiore temporis spatio quam trium ho- rarum, quae, utpote a publica breviarii recitatione originata, in novo breviario non amplius vigebit; praescriptum hoc assimila- bitur rubricis hodierni breviarii externum ritum recitandi tan- gentibus, quae, si de privata recitatione agatur, laudabiliter quidem suadent, non autem stricte imponunt.

Postulatum decimum erit itaque: quidquid, sive origine sive natura rei, cum publica breviarii recitatione intime connec- titur, sub stricto morali debito in novo breviario numquam cadet.

Postulatis septimo, octavo, nonoque breviarii onus ita vi- ribus possibilitaque cuiusque sacerdotis accommodari videtur, ut nullus umquam illud rationabiliter nimis grave putare possit. Quodsi quis breviarii ulteriorem abbreviationem expostulet ea specie, ut nempe maior opportunitas tribuatur pro privatis precibus devotionibusque, privatae necnon publicae orationis valorem non recte aestimare videtur. Oratio quippe publica non solum dignior verum etiam efficacior dicenda est quam privata, cum ad eam perficiendam tota congregetur Ecclesia sponsa Christi immaculata, secundum illa Salvatoris verba: „Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam- cumque petierint fiet illis a Patre meo“ (Mt. 18, 19). Non est igitur breviarium abbreviandum ideo, ut maior opportunitas pro privatis orationibus devotionibusque tribuatur, sed — e con- verso — communes omnium sacerdotum necessitudines, de quibus privatae preces fieri solent, incorporandae sunt ipsi breviarii precibus. Hoc modo e privatis cuiusque sacerdotis

precibus fient ipsius Ecclesiae orantis necessitudines precesque et dignitatem efficaciamque orantis Ecclesiae consequentur.

Consideranti etiam officii divini primitivam a s. Benedicto institutionem et ulteriorem evolutionem statim apparebit s. Institutorem practice non distinxisse inter publicas privatasque orationes, quasi quaedam petitiones reserventur orationi publicae, ceterae ad privatas preces relegentur. E contrario, breviarium ita primitus compositum erat, ut omnino principalem essentialemque orationem recitantium constitueret et breviarii ipsius preces omnibus communiter accidentibus necessitudinibus recitantium satisfacerent. A breviarii primitiva institutione pluries saecularis distantia temporis effecit, ut quaedam communia pietatis exercitia posterioris originis in breviario hadierno locum non inveniant. Spectata orationis publicae dignitate efficaciamque omnino adlaborandum est, — ut sicut primitus ita et nunc — breviario mox componendo omnia communia pietatis exercitia quantum fieri potest incorporentur, ita ut breviarium sit publica simul et privata cuiusque recitantis quotidiana, principalis, substantialisque omnino oratio. Ex quibus sequitur

postulatum undecimum: novum breviarium ita componendum est, ut sit non solum publica totius Ecclesiae, verum etiam principalis substantialisque privata oratio quotidiana cuiusque recitantis.

Postulato 11 primitivae breviarii institutioni satis fiet secundum quam breviarium non solum publica verum etiam essentialis principalisque oratio quotidiana monachorum benedictinorum erat. Qui ad primitivam institutionem regressus ita peragendus est, ne breviarium novum onerosius fiat, immo ut totale orationis diurnae pondus sacerdotibus levius fiat. Breviarium autem tunc principalis essentialisque orationis quotidianae munus exercebit, si communiter contingentibus necessitudinibus Ecclesiae et cuiusque sacerdotis locum dabit. Clarum est tales communes necessitudines re ipsa dari, e. gr. orandi pro parentibus, benefactoribus, fidelibus defunctis, Eccle-

siae rectoribus... De his et in privatis orationibus sacerdotes communiter mentionem faciunt et in breviarii precibus ferialibus commemoratio fit. Preces feriales hodierni breviarii recitantur bis in die quidem, sed illis tantum temporibus, quae paenitentiae agenda dicata sunt. Ex invocationibus precum ferialium illae desumendae sunt, quae memoratas communes Ecclesiae et sacerdotum necessitudines spectant et novo breviario perpetuo incorporantur necesse est tamquam pars essentialis eiusdem. Ne vero novum breviarium longius fiat, non nisi semel in die recitabuntur, vesperarum autem hora videtur huic recitationi accommodatior. Rubrica „preces feriales“ in novo breviario non amplius invenietur. His necessitudinibus communibus breviario incorporatis et ad dignitatem publicae orationis evectis et adjuvatur fragilis memoria sacerdotum — neque enim torquentur dubiis, utrum pro his necessitudinibus oraverint necne — et totius diurnae orationis onus immutatus, immo levius erit.

Postulatur ergo duodecimo: illae petitiones precum ferialium, quae communibus necessitudinibus Ecclesiae et recitantium respondent, incorporantur Vesperis omnis officii, tamquam essentialis pars officii diurni per totum annum.

Aliae postulati undecimi applicationes faciliter percipiuntur. Nemo est, qui non videat hodie duplicem viam, publicam et privatam, et in matutinis et in vespertinis precibus; plerique sacerdotes mane praeter primam et vespere praeter completorium alias privatas matutinas et vespertinas preces recitant. Quod ideo facere videntur, quia neque in prima neque in completorio illa inveniunt, quae suae pietati essentialia in matutinis vespertinisque precibus apparent. Habent etiam rationale theologicum fundamentum. Sicut enim depositum fidei magis in dies explicite a credentibus noscitur — in quo dogmatum evolutio constat — ita etiam orandi formae novae apparent, quae in novis dogmatibus fundantur. Sicut explicitafides hodierni temporis non posthaberi potest, ut ad implicitam fidem e. gr. VI saeculi in vita regressus fiat, ita neque ab ho-

dierna orandi praxi recentiores orandi formae, in dogmatum evolutione fundatae, adimi sine vitae spiritualis detrimento possunt. Siquidem psychologica lex postulat, ut mens magis evoluta formis magis evolutis utatur manifesteturque. Ut igitur prima et completorium de novo matutinarum vespertinarumque precum munere plene fungi possint, incorporentur iis oportet ex hodierna devotionis praxi ea omnia, quae essentialia in matutinis vespertinisque precibus habentur.

Actus fidei, spei et caritatis, praeter invocationem adiutorii divini, in matutinis, examen conscientiae vero in vespertinis precibus essentialia partes reputantur. Habentur in ordinario Primae preces, quae vocantur dominicales, Cum his ita procedendum est sicut supra cum precibus ferialibus ad Vesperas: ex invocationibus precum dominicalium illae seligendae sunt, quae necessitudinibus matutini temporis optime vicem reddunt, et ordinario Primae tamquam essentialis pars in omni officio adnumerandae; petitiones in hoc delectu omissae numquam amplius recitentur. Invocationibus hoc modo delectis addendae sunt deinde formulae ad eliciendos actus theologiarum virtutum. Hac via novum ordinarium Primae et pietati fovendae magis inserviet et commoditati sacerdotum recitantium aptius providebit.

Examen conscientiae ad Completorium faciliter introduci potest loco „Pater noster“, quod ante confessionem generalem hodie recitatur, ita ut confessio generalis eliciendo actui contritionis inserviet. Ad quod examen perficiendum pausabitur aliquantulum ante confessionem generalem et post „Adiutorium nostrum...“. Examine conscientiae in novum Completorium introducto efficacissime promovebitur observatio legis ecclesiasticae, quae illud examen a sacerdotibus postulat. Sicuti e precibus Primae ita etiam e precibus hodierni Completorii illae invocationes deligendae sunt, quae concludendo diei maxime conveniunt, ceterae vero numquam amplius recitabuntur. Quod in unum redigit

postulatum decimum tertium: novum breviarium privatarum precum matutinarum vespertinarumque munus plene exerceat; ideoque -primo-orinario Primae addantur actus virtutum theologiarum et e precibus Primae illae petitiones eligantur et tamquam essentialis pars breviarii omni officio incorporentur, quae matutini temporis necessitudinibus spiritualibus conveniunt; sesundo-loco „Pater noster” ante confessionem generalem in Completorio examen conscientiae praescribatur et e „precibus” Completorii illae tantum petitiones retineantur ac ordinario omnis officii incorporentur, quae necessitudines diei finientis reddunt.

Rubrica „preces” in ordinario novi breviarii neque ad Primam, neque ad Vesperas, neque ad Completorium, neque ad Laudes apparebit. Modo supra exposito reditus fieri videtur ad primitivam breviarii a s. Benedicto institutionem, non distinguentem practice inter publicas privatasque orationes et unicam, principalem essentialemque recitantium orationem constituentem.

Sanctus institutor, breviarium primitivum componens, inter alia principaliter intendebat divino officio vitam spiritualem recitantium fovere. Ex hac mente processit, quod in capitulis uniuscuiusque horae admonitiones regulaeque aureae dantur ad vitam virtutum fovendam, quarum pulcherrimum exemplum in paschali lectione brevi ad Primam habetur: „Si consurrexistes cum Christo...”. Ex hac mente profluxerunt illae pulchrae admodum responsiones, quae nonnumquam et contemplationem mysteriorum fidei adjuvant et actus iaculatorios virtutum excitant. Inde etiam venit, quod lectiones e S. Scriptura et ss. Patribus breviario insertae sunt. Propter eandem rationem additae sunt historicae lectiones de vita sanctorum, siquidem exempla sanctorum sunt, quae maxime ad virtutum exercitium alliciunt.

Consideranti attente breviarii hodierni structuram statim apparebit haec omnia, quantum ad generalia, felicissimae inventionis fuisse et ideo in novo breviario omnino retinenda

esse. Et quidem, capitula responsionesque horarum non egent nisi accidentalibus correctionibus: expedit nempe, ut expungantur illa, quae inintelligibilia hodie apparent, sicut „Candidi facti sunt nazarei...“, ut responsoriis materiam pure historicam—e. gr. de libris historicis Antiqui Testamenti—alia substituantur, quae materiam afferant exercendis virtutibus. Quodsi quaeratur, ubi invenienda sint, respondeitur in missalibus aliisque antiquioribus libris liturgicis, itemque in antiquioribus recentioribusque libris liturgicis ordinum religiosorum plura inveniri, quae et huic fini aptissima videntur et cantu gregoriano iam illustrata sunt; hoc modo in novum breviarium et antiquae Ecclesiae mens et genuinus cantus antiquus transibit. Missalis etiam Romani introitus, communiones, offertoria, tractus sub hoc respectu perlegenda sunt et plura ibi sine dubio inveniuntur, quae in breviarium maximo cum profectu transferri poterunt.

Ratio tamen ordinandarum lectionum in novo breviario intricatior et quanto maioris momenti est tanto diligentiore examine eget. Lectiones e S. Scriptura, e scriptis ss. Patrum, historicae de vita sanctorum sine dubio ideo introductae sunt, ut vitam spiritualem recitantium foverent. Quae quidem actibus caritatis ceterarumque virtutum exercetur, sed in fide fundatur. Non omnes lectiones S. Scripturae sub hoc respectu recte delectae videntur. E libris regalibus Veteris Testamenti leguntur nempe res gestae, quae actus virtutum quasi nihil excitant, ad fidem autem non nisi mediate referuntur, ut e. gr. est occisio Isboseth, filii Saul regis. Breviarium hodiernum insistit etiam in legendis initiis librorum sacrorum, quae cum introductoriae indolis sint, saepissime non nisi minoris momenti elementa continent. Visu mirabile etiam videtur, quod Evangelia, quibus potissime et fides nostra et vita virtutum nutritur, parcissime tantum et in truncatis initiis leguntur; insuper aequo saepius eadem Evangeliorum excerpta repetuntur.

Quae considerationes postulant, ut lectiones S. Scripturae in novo breviario integre reordinentur. Vita fidei virtutumque, ut ex nuper dictis apparet, earum ratio finisque est, qui me-

diorum ordinandorum propria causa ratioque est. Ut igitur et ordo et delectus lectionum e S. Scriptura in novo breviario perfecte suo fini respondeat vitenturque memoratae imperfectiones, necesse est reiciantur in his lectionibus ordinandis omnes aliae rationes et alenda vita spiritualis sit unica ratio admittendae vel reiciendae lectionis. Hoc autem secum fert, ut lectiones illae systematico, non autem historico, ordine per decursum anni disponantur; hoc imperiose suadet, ut plures lectiones hodierni breviarii e novo expungantur; ut novo breviario mox componendo novae lectiones addantur, quae in hodierno desiderantur.

Fides nostra postulat inter cetera, ut prophetiae messianicae facili conspectu nobis quotannis in breviario proponantur; quod aptissime tempore adventus seu praeparationis ad festivitatem Nativitatis Domini fiet. Legantur vero prophetiae ipsae cum suo quaeque contextu loco longiorum excerptorum e libris propheticis Vet. Testamenti, ita ut tempus Adventus vera sufficiat ad omnes prophetias nobis ad oculos ponendas. A Nativitate Domini usque ad dominicam in Albis inclusive Evangelia legenda censentur, hac quidem ratione, ut substantialem conspectum vitae, praesertim vero. doctrinae Domini Nostri in his lectionibus praebeant. Lectiones igitur ex Evangeliiis sumptae constituent quattuor Evangeliorum synopsis. A dominica in Albis denique usque ad finem anni liturgici perlegantur ceteri omnes loci-non autem libri-cum Novi tum Veteris Testamenti, qui vel fidei mysteria exponunt vel doctrinam moralem continent. In quibus seligendis Novum Testamentum Veteri anteponendum videtur, ita ut epistolae Paulinae catholicaeque integrius quam nunc legantur. Ex omnibus supradictis patet locos didacticos, dogmaticos et morales, pluris censi quam locos res gestas referentes et plures narrationes Actuum Apostolorum ibi relegari, ubi in breviario exempla virtutum imitanda ponentur, seu in tertium et secundum Matutini nocturnum. Quapropter sequens ponendum est

postulatum decimum quartum: lectiones scripturisticae ita in novo breviario seligantur, ut-primounaqueque earum fovendae vitae fidei et virtutum immediate serviat; ut-secundo-omnes loci S. Scripturae, qui huic fini non nisi mediate admodum inservire possunt, omittantur, etiamsi de librorum initiis agatur et ex aliquibus libris nihil in breviarium assumatur; ut-tertio-systematice potius quam secundum librorum ordinem in canone disponantur; ut e. gr. in Adventu omnes messianicae prophetiae, ab antiquissimis ad novissimas, in proprio quaque contextu perlegantur; a Nativitate Domini usque ad dominicam in Albis inclusive lectiones ex Evangeliiis sumantur, ita ut substantialem synopsis quattuor Evangeliorum constituent; a dominica denique in Albis usque ad finem anni liturgici assumantur ceteri loci S. Scripturae ad fidem moresque pertinentes; ut-quarto-Novo Testamento, praesertim vero Evangeliiis et Epistulis plurius valoris tribuatur quam Veteri Testamento; ut-quinto-omnes scripturisticae lectiones simul sumptae verum speculum constituent imitationis Christi secundum S. Scripturam.

Vitae spirituali fovendae in breviario praeter lectiones S. Scripturae lectiones etiam et e scriptis ss. Patrum et historicae de vita sanctorum destinantur. In quibus ut videatur, quid in novo breviario componendo immutandum sit, praecipua ratio vitae spiritualis fovendae nunc consideretur. Experientia pluries saecularis docuit sine meditationis exercitio hominem in vita spirituali vix progredi posse. Inde venit, quod Ecclesia meditationis exercitium clericis omnibus vehementissime et commendat et imponit. Quodsi lectiones trium nocturnorum breviarii alendae vitae spirituali destinantur, omnino naturaliter sequitur

postulatum decimum quintum: omnes trium nocturnorum lectiones talem indolem prae se ferant, ut meditationi spirituali materiam suppeditent. Sicut lectiones e S. Scriptura speculum imitationis Christi secundum Scripturam, ita lectiones e Patribus et aliis Traditionis testibus idem speculum imitationis

Christi secundum Traditionem dent oportet, lectiones vero historicae exempla dent imitationis Christi in vita sanctorum Novi Veterisque Testamenti. Lectiones e scriptoribus ecclesiasticis sumptae totam vitae spiritualis materiam exponant, a via purgativa usque ad unitivam, succincte quidem at substantialiter.

Si postulatum decimum quintum fideliter executioni mandetur, breviarium novum cuique sacerdoti thesaurus erit, medullam continens totius activitatis litterariae Ecclesiae in re spirituali. Sive domi sive in itinere totius bibliothecae vicem geret atque meditationem lectionemque spiritualem sacerdotibus facillimam reddet. Hoc postulato fideliter executioni mandato breviarium novum etiam alium, et hunc principaliorum, „breviarii“ sensum reddet: constituetur siquidem pretiosissimis excerptis e pluribus libris in unum redactis. Valor ideo duobus ultimis postulatis tribuendus nimis exaltari omnino nequi.

Succincta substantialisque totius vitae spiritualis expositio in lectionibus breviarii materialiter quidem in novo breviario nova erit, essentialiter tamen nihil aliud est, nisi melior, — ut videtur — rigorosiorque in praxim deductio antiquissimi principii quod hodierno breviario orienti praefuit et e quo conclusiones practicae nunc deducuntur. Quae materialis quaedam novitas quaestionem originat, quo modo in breviario mox componendo illae lectiones vitam spiritualem — et systematice et exemplis — exponentes disponantur. Cui quaestioni respondet

postulatum decimum sextum: sicut in primo nocturno pro toto anno secundum proprium temporis scripturisticae lectiones disponuntur, ita pro nocturno secundo lectiones de vita spirituali e Traditione desumptae item pro toto anno secundum proprium temporis disponantur.

Novum breviarium secundum ultimum postulatum duas series lectionum in proprio de tempore pro omni die habebit, alteram de Scriptura, alteram de ascetica mysticaque materia. Neque mirandum est, nam et scripturisticae lectiones hodierni breviarii pro omni die in proprio de tempore disponuntur, non

omni vero die leguntur: quod ab officii qualitate pendet. In officiis fetivis e. gr. scripturisticae lectiones de tempore omnes omittuntur et propriae lectiones sumuntur. Continuum autem alteram seriem lectionum de vita spirituali e Traditione sumptam omnino ponendam esse et poni realiter posse miltiplices rationes suadent:

Cum doctrinae revelatae duplex fons habeatur, S. Scriptura nempe et Traditio, doctrina spiritualis eodem gradu e Traditione in secundo nocturno proponenda est recitantibus, sicut in primo nocturno secundum Scripturam proponitur; quae ratio fusius in sequenti capite tractabitur ubi de Traditione et Scriptura sermo erit. Sacerdotibus maximo adiutamento et spirituali profectui erit, si pro quolibet anni die in breviario et meditationis et lectionis spiritualis materiam invenient. Hodierna ars libros imprimendi denique et chartam papyraceam conficiendi tam perfecta est, ut alterius seriei lectionum additio quasi omnino breviarii volumen molemque non afficiat; quodsi modice afficiat, emolumenta tam magno ex addita secunda serie lectionum fluunt, ut modicum ponderis molisque augmentum longe superent.

E postulatis decimo quinto et decimo sexto innovatio quaedam sequitur, quae iam nunc animadvertenda est. In officio ordnario novi breviarii vi horum postulatorum lectiones scripturisticae semel tantum, in primo nempe nocturno, occurrent. Non aderunt in tertio nocturno saepe redeuntes et saepe repetenda evangeliorum initia, quibus homiliae ss. Patrum sequantur.

Ad materiam exhauriendam additur

postulatum decimum septimum: in officiis sanctorum lectiones tertii nocturni de vita sanctorum tractabunt, quam tali modo exponent, ut lectiones huius tertii nocturni etiam meditationi spiritualique lectioni inservire possint. Tamquam lectio sexta secundi nocturni in proprio de tempore poni potest exemplum aliquod, praecipue de S. Scriptura sumptum, quod mate-

riam spiritualem, in quarta et quinta lectione expositam, illustret.

Quia doctrina spiritualis non solum exposita verum etiam exemplis roborata et illustrata efficacius ad exercitium virtutum movet, ideo eiam secundo nocturno quaedam exempla expositarum virtutum afferri optime possunt. Quae ideo ex Scriptura S. sumenda praecique censentur, quia actus virtutum ibi expositi auctoritate divina et commendantur saepissime et laudantur. Lectiones vero historicae de sanctis e secundo nocturno in tertium transferuntur propter rationabiliorum-ut videtur-ordinem in breviarium introducendum. Qui postulat, ut doctrina primo exponatur-quod primi et secundi nocturni est-deinde vero exemplis illustretur-quod tertio nocturno faciendum relinquitur. Hac ratione naturalis ordo etiam in hoc servatur, quod breviarium procedet ordinate ab hoc, quod magis docet et minus movet, ad id quod minus docet plus autem movet: clarum quippe est exempla efficacius ipsa expositione doctrinae ad imitandum trahere.

Hodierni breviarii lectiones historicae de sanctis sine ullo dubio ideo conceptae sunt, ut vitam spiritualem sacerdotum foveant. Quod munus, universaliter loquendo, satis feliciter expleant. Quodsi ad particularia descendatur, plura in eis inveniuntur huic fini inepta. „Legendae“-quae dicuntur-eventus miraculosos accumulantes certissime expungendae sunt. In recentioribus lectionibus historicis inveniuntur etiam plura, quae ad vitam spiritualem fovendam quasi nihil conferunt: uti e. gr. est coincidentia chronologica nativitatis s. Petri Canisii cum factis ex historia Ecclesiae, quae longius quaesita videtur et ad spiritualem aedificationem nihil confert; neque saepe in lectionibus historicis memorata praenuntiatio diei mortis propriae, etiamsi vera, multo magis aedificat. Ex his capitibus plures lectiones historicae de sanctis reficiendae videntur, ut enuntiato postulato aptentur.

Evidenter in reficiendis lectionibus de sanctis duo postulanda sunt: lectiones illae, primo, multo minus sanctorum glo-

rificationi quam proprio nostro spirituali profectui inserviant. Contra quod non solum quaedam vetustiores, ut. e. gr. s. Martinæ Romanæ, verum etiam quaedam recentiores in breviario lectiones peccant. Alterum praeceptum sequens est: virtutes et vita sanctorum describantur notis propriis personalibusque cuiusque sancti neque utantur solis generalibus, impersonabilibus expressionibus. Vita hominis etenim individuus constat eventibus propriis cuique homini, qui neque accurate generalibus notis exprimuntur neque, tali modo expressi, tamquam exemplum gaudent plena efficacia in movendo ad imitandum. Ad quod corollarium adiciendum est:

Omnes virtutes in unoquoque sancto, propter virtutum connexionem, certe adsunt, at in vita sigulorum sanctorum singulae et peculiare quaedam virtutes supra ceteras eminent, ut peculiarem notam in spiritualitate cuiusque sancti constituent. Quapropter omnino adlaborandum est, ut non solum haec peculiariter eminens virtus specialiter in lectionibus de sanctis describatur, sed etiam, ad docendum nos, via breviter indicetur, qua ad hunc virtutis istius cacumen pervenerit.

Breviarium hodiernum saecularis cleri Romanum vocatur, est autem-prout facillime patet-magis Romano-catholicum quam Romanum. Origine quidem historica est Romanum, utpote ex officio curiae Romanae evolutum; historica evolutione et legislatoris voluntate factum est deinde catholicum. Romana eius origo manifestatur in pluribus festis sanctorum, qui extra urbem populo christiano quasi ignoti sunt neque alibi tamquam patroni a christifidelibus coluntur. Cultus e. gr. ss. Priscae, Balbinae, Martinæ, Gorgonii, Placidi aliorumque essentialiter Romanus vocandus est. Ex quo autem tempore breviarium istud toti Ecclesiae impositum est, recepit illorum sanctorum festa, quorum activitas influxusque aliquo modo ad totam Ecclesiam extendebatur. Duplicitas quaedam ergo in eo animadvertitur, quod Romano-catholicum expressa legislatoris voluntate, Romanum autem casu quodam historico sit. Quoniam breviarii reformatio expressa legislatoris voluntate intenditur,

optatur etiam, ut breviarium mox componendum intentionali-
ter et integriter Romano-catholicum sit. Quod ut in eventum
perducatur, observandum videtur sequens

postulatum decimum octavum: breviarium totius Eccle-
siae Romano-catholicae cum quoad contentum tum quoad for-
mam re ipsa Romano-catholicum sit; ideoque-primo-expungen-
da sunt in eo omnia illorum sanctorum festa, quorum et cultus
et activitatis influxus ad Romanam regionem limitatur; secun-
do-praeter festa sanctorum, quorum cultus et activitatis influ-
xus ad totam Ecclesiam extenditur, introducenda sunt etiam
festa principalium sanctorum illarum nationum, quibus totius
orbis christianitas constat, etiamsi de nationibus hodie extinctis
agatur.

Quia Romana Ecclesia omnium aliarum Mater et Magi-
stra est, principales eius sancti patroni a ceteris ecclesiis
orbis catholici coli solent ideoque e calendario universalis Eccle-
siae expungi nequeunt. Ceteri autem sancti, qui Romae quidem
coluntur sed patroni non dicuntur, magis ad festa particularia
spectant proptereaque ad proprium Romanae Ecclesiae rele-
gentur. Hoc modo plures dies liberi in calendario relinquuntur
vel officio feriali de tempore vel principalioribus sanctis totius
Ecclesiae destinandi. Quantum ad secundam praesentis postu-
lati partem in hodierno breviario non nisi secundaria quaedam
emendanda inveniuntur, quoniam et principales patroni singu-
larum nationum et sancti in universalem Ecclesiam influentes
iam dudum in calendarium universalis Ecclesiae introducti
sunt. Ut universalitas Ecclesiae manifestior fiat et communio
sanctorum inter diversas catholicas nationes efficacius promo-
veatur, introducendi videntur in breviarium pro universa
Ecclesia principales patroni earum etiam nationum, quae olim
catholicae erant et postea a fide defecerunt, vel quae non am-
plius existunt. Cyrillus et Mathodius, Slavorum apostoli non
erant Slavi; orientales Slavi ex altera parte non semper schis-
matici erant. Ex illis temporibus, quibus orientales Slavi, Ar-
meni aliique adhuc catholici fuerant, e calendariis ecclesiarum

unitarum transferendi sunt in novum breviarium et in calendarium universalis Ecclesiae ii sancti, qui illorum temporum catholicitatem sanctitatemque in illis nationibus repraesentant. Catholica fides exticta est hodie in Danis, Suedis, Norvegis, Persis aliisque. Ut semper reminiscamur oportere et illae nationes ad unitatem widei veniant atque pro earum conversione ferventius oremus, expedit, ut de principalibus sanctis, qui in illis nationibus olim floruerant, in officio memoria fiat. Similiter desideratur atque maxime expectatur conversio magnarum nationum Orientis, Sinensium, Indorum, aliorumque. Sancti ergo Sinenses atque Japanenses martyres, fidei primi flores in nationibus illis, omnino in breviarium introducendi videntur. Ut communicatio sanctorum inter omnes nationes manifestetur, nulla notabilis natio, etiamsi Helvetos numero non superet, proprio sancto-si quem edidit-in breviario careat. Et tempus et locus in breviario iis celebrandis certe erit, quia neque nationes neque sancti liturgico cultu praediti numero infiniti sunt.

Breviarium Romanum ita compositum est, ut idem et essentialiter unicum et privatae et publicae recitationi destinetur: plurima communia sunt, quae vero recitationi publicae tantum appropriantur, ei quod commune est, adiciuntur. Quod et pluries saeculari experientia maxime probatum et breviarium cum ceteris liturgicis libris commune est. Talis compositio efficit, ut transitus a privata ad publicam formam recitandi sacerdotibus nullam difficultatem faciat. Ordinario quidem sacerdotes saeculares breviarium private recitant, plures tamen occurrunt occasiones, quibus breviarium in communi recitandum vel etiam cantandum est. Ne decor officii divini in his circumstantiis minuat neque nimis difficilis sit transitus an publicam recitandi formam, breviario relinquenda est hodierna compositionis ratio. Quapropter ponitur.

postulatum undevicesimum: breviarium sit essentialiter idem pro publica privataque recitatione; quae publicam afficiunt, illis quae communia sunt, adiciantur.

3. De principiis breviarii mox componendi

Principiorum examen, ad quorum normam hodiernum breviarium compositum est, clare ostendit, ne unum quidem eorum in novo breviario conficiendo reici debere vel posse. Quod faciendum remanet non sunt nisi quaedam magis intentionales methodicaeque eorundem principiorum adaptationes ad cleri saecularis necessitudines. Tales adaptationes desiderari, nemini mirum erit, qui consideraverit breviarium primitus monachis destinatum atque compositum fuisse. Quae ad necessitudines cleri saecularis adaptatio ut perfectior atque perpetua sit, praeter principia in praecedenti capitulo discussa considerata sunt adhuc alia superius enumeratis adicienda. In quo a principiis dogmaticis incipiendum est.

Fides docet supremum Dominum nostrum Deum esse, Deum-Patrem, Deum-Filium, Deum-Spiritum Sanctum, Deum-Sanctissimam Trinitatem. De Deo Filio confitemur etiam hominem factum esse, proptereaque Christum Jesum propter unitatem personae divinae eundem unicum supremum divinumque Dominum nostrum esse. Sicut Dominus Spiritus est et eadem adoratione cum Patre et Filio adoratur et conglorificatur, ita supremi Domini titulus in Novo Testamento praecipue homini Jesu Christo attribuitur, ad quem doxologiae apud s. Paulum pertinent, quae soli Deo attribui possunt. Prout ergo cultus Spiritus Dei est, propter eandem rationem etiam cultus Christi est cultus Dei, cum cultus personam proprie respiciat pro obiecto.

Dies dominica ex altera parte ideo vocatur, quia cultui Dei Domini dedicatur. Cultum diebus dominicis Deo Domino tributum Traditio Ecclesiae non coarctavit tamen ad solum Deum Patrem. Adest enim dominica Resurrectionis, celebratur dominica Pentecostes; dominica Resurrectionis proprie homo Christus resurgens, dominica vero Pentecostes Spiritus Sanctus in Apostolos descendens adoratur. Formalis rigiditas, quae posterioribus saeculis invaluerant, ad hoc perduxit, ut breviarium et missale de dominica SS. Trinitatis loqui timuerint, immo ut alterum formulare pro festo SS. Trinitatis, alterum pro domi-

nica post Pentecostem prima provideatur; similiter praeter formulare de dominica infra octavam Circumcisionis aliud de festo SS. Nominis Jesu pro eodem die praescribitur. Et dogmati et liturgico principio diei dominice consonum erit sequens.

postulatum vicesimum: dominicae, quibus perpetuo festivitates Christi vel SS. Trinitatis assignantur, unicum officium de Christo vel de SS. Trinitate habeant neque festa vocentur sed dominicae Christi vel SS. Trinitatis. Nulla festivitas perpetuo diebus dominicis assignetur, quae non sit de ipso Deo.

Postulato 20 dominicae Nominis Jesu et Christi Regis potissime afficiuntur. Celebratio SS. Nominis Jesu arctissime cum Circumcisione connectitur proptereaque optime die dominica post Circumcisionem celebrabitur, cui in posterum unicum officium et unicum formulare praescribatur, nempe illud Nominis Jesu, etiamsi post Epiphaniam celebrari contingat. Festivitas Christi Regis omnino maxima cum celebritate sanctificanda est. Usus celebrandi Christum Regem ultima dominica octobris non videtur internis rationibus fundari sed legislatoris voluntate stare. Ad celebritatem Christi Regis augendam multum contribuet et internis rationibus fundabitur, si dominica Christi Regis eligatur ultima anni liturgici. Hoc modo monstrabitur non solum annum liturgicum sed omnia ad Christum finem tendere et Christum esse caput et anni liturgici et universorum. Postulatum 20 efficit, ut festum s. Familiae a dominica infra octavam Epiphaniae amoveatur, cum non sit ipsius Dei. Retenta solemnitate externa pro illia dominica ipsum festum optimum locum habebit primo die post octavam Epiphaniae, vel etiam ipso die octavo Epiphaniae. Quamquam haec omnia clara sunt, propter maximum valorem dominicae Christi Regis tribuendum ponitur

postulatum vicesimum primum: dominica Christi Regis eligatur ultima anni liturgici, tamquam eiusdem naturalis finis et corona, sitque dominica maior primae classis, ut festis quibuslibet praeferatur.

Historismum principii instar in reformando breviario poni non posse supra iam ostensum est, ubi breviarii evolutio adumbrabatur et de nova Psalterii translatione sermo erat a Pio XII

in breviarium introducta, quae historismi principium directe enervat. Maxime tamen praeter has duas allatas causas theologicae et dogmaticae contra historismum in breviario reformando militant rationes. Constat namque omnem nostram ad Deum devotionem orationemque in fide fundari fideque regulari, ut lex credendi in legem orandi fiat. Certissimum est etiam ex altera parte dari veram, quamvis homogoneam evolutionem dogmatum, quae in hoc sistit, quod lapsu temporum fides semper atque semper plures credit explicite veritates quam initio explicite confitebatur. Vera ergo quamvis homogonea evolutio dogmatum necessario trahit secum veram realemque evolutionem pietatis christianae erga Deum, quae in hoc est quod progressu temporum novae legitimaeque oriuntur formae Deum colendi, praecandi, adorandi. Sicut contra bonum fidei ageret ideoque malum perpetraret, qui ex fidei confessione omnes veritates eraderet posterioribus temporibus ad credendum explicite propositas, similiter contra pietatem atque adeo male ageret, qui vellet a pietate christiana illas formas tollere, quae in dogmatibus legitime fundantur posterioribus temporibus ad credendum propositis. Ut recentissimum exemplum ponatur, neque confessio Assumptionis B. M. V. neque cultus B. M. V. Assumptae potest hodie post dogmaticam definitionem sine peccaminosa praesumptione in oblivionem mitti. Breviarium antiquissimum, hodiernum et mox componendum, essentialiter destinatur ad fovendam pietatem recitantium, cui omnibus modis inserviat necesse est. Breviarii novi compositor nequit ergo oculos claudere nec animadvertere praesentem fidei confessionem legitimamque pietatis formas in ea fundatas et breviario solas illas formas pietatis inserere, quae saeculo VI vel IX vigerant. Ex altera parte aequè impossibile erit omnes legitimas praesenti die vigentes formas pietatis breviario inserere; et hoc propter limitationem, quam breviarii volumen imperiose imponit. Remanet igitur, ut saltem omnes principales expressiones devotionis christianae, quae iam videntur vel in futuro ortae erunt, in breviarium Romanum pro universa Ecclesia assumantur. Breviarium novum aliis verbis non tales mutatio-

nes atque additamenta patietur, quae rationibus historicis suadentur, sed quae unoquoque tempore in confessione fidei divinae et catholicae, per pietatem manifestata, fundantur. Quae cum ita sint

postulatum vicesimum secundum sonet: in breviario componendo rationes utilitatesque reales, confessioni fidei divinae et catholicae respondententes, historicis omnino anteponantur.

Reliquiae quaedam historismi perspicuntur in nonnullarum rubricarum excessivo cultu, quae ad dominicas pertinent. Liturgicum nempe principium dominicarum Deo unice in liturgia dicandarum recentioribus temporibus ita debilitatum est, ut festa duplicia II et I classis in liturgia locum dominicae teneant: in quo liturgicus legislator audacter et praeter et contra principium „dominicale“ agebat. Idem legislator ex altera parte excessivam timiditatem in hoc principio tractando monstrasse videtur, cum iuberet anticipari illas dominicas post Epiphaniam vel post Pentecostes, quae annis 52 dominicas habentibus suis diebus legi nequeunt, vel cum praeciperet primo die libero hebdomadis officium de omissa dominica celebrari. In quo maior valor tributus est ipsi formulario missae dominicalis legendo, quam celebrationi officii dominicalis ipsa dominica die. Dominicae quippe, quae hoc modo anticipandae praescribuntur, inter minores computantur neque earum partes propriae in officio breviarii vel in missa veritates tanti valoris inculcant, ut omnino, saltem translatitio die, legi debeant. Idem dicendum est de dominicis omissis, quarum formularia primo die libero reassumenda sunt. Neque istarum dominicarum in formulariis officii vel missae anticipatio vel omissarum reassumptio die libero aequivalet celebrationi ipsius dominicae. Duae ergo ad invicem adversae tendentiae in hodierna praxi liturgica secum militant, quarum altera dominicarum principium dissolvit, altera vero salvare conatur, utraque autem vi postulatorum vicesimi et vicesimi secundi in posterum excluditur. Quod quo modo fiat

postulatum vicesimum tertium explicat: nullum festum accidentaliter in dominicam cadens die dominica celebretur, nisi sit festum Domini vel festum totius Ecclesiae de praecepto.

Postulatum 20 hoc vigesimo tertio completur. Etenim dum istud agit de festis accidentaliter in dominicam cadentibus, illud applicatur festis perpetuo diebus dominicis assignandis. Hoc 23 postulato et principium dierum dominicarum Deo dicandarum et mens Ecclesiae festa praecepta spectans pleno vigore salvari videtur. Quolibet nempe anno aliquot festum fixo die mensis celebrandum cadit in dominicam. Tunc, si dominica non est maior I classis et ritus festi in illam cadentis est de ordine I classis officium de festo celebratur; de dominica vero, cuius officium in primum diem sequentem liberum transfertur — non fit nisi commemoratio. Immo, cum dominicae minores — quae in anno 36 vel 37 numerantur et ideo longe superant numerum maiorum, quae tantum 16 sunt — locum cuilibet festo I classis cedant, evenit, ut de pluribus dominicis singulis annis ipsa die dominica non nisi commemoratio in officio habeatur. Officii vero et missae dominicalis reasumptio primo die libero simplicitati rubricarum non consulit.

E contra postulatum 23 efficit, ut festa, quae nec sunt Dominini neque de praecepto, die dominica in quam accidentaliter cadunt, neque officium neque in officio dominicae commemorationem habeant: hoc ultimum vi postulati sexti. Festa vero de praecepto recte ipsa die dominica, in quam accidentaliter cadunt, celebranda sunt. Quod duabus rationibus suadetur. Si Ecclesia alicuius sancti festivitatem fidelibus celebrare praecipit et eorum constientias onerat, quem principaliter colere intendit, non est sanctus, de cuius festivitate agitur, sed Deus ipse: quod enim universaliter ab Ecclesia praecipitur ad universale magisterium fidei pertinet. Ex quo sequitur festa de praecepto diebus dominicis, in quos cadunt, celebrari posse; deberi vero celebrari ex mente Ecclesiae festa de praecepto spectante ostenditur. Festis praecepto omnibus impositis Ecclesia aliquod speciale mysterium fidei omnibus fidelibus incul-

care intendit, dum in officiis dominicarum minorum vel maiorum II classis, de quibus praesens quaestio versatur, nihil perspicitur, quod aequalem valorem habeat.

Sed — quaeris — quid de officiis sanctorum, quae dominicali, et de officiis dominicalibus, quae festivis officiis locum cedent? Vi postulati sexti nulla de eis ipsa die fiet in officio commemoratio. Omnes ex altera parte dominicae, quibus legislator aliquid speciale in fide vel moribus inculcare intendit, sunt maiores I classis. E festis sanctorum sunt duplicia I classis primaria, quae ex mente Ecclesiae idem faciunt. Sed dominica maior I classis nulli festo cuiuslibet sancti locum cedit. Festa vero sanctorum I classis primaria, etsi suo die propter occurrentem dominicam celebrari nequeant, omnino celebranda sunt propter valorem, quem illis Ecclesia tribuit. Oportet ergo festa sanctorum ritus duplicis I classis, quamvis non de praecepto, a dominicis impedita, transferantur in proximum diem liberum. Hoc respondet optime praxi Ecclesiae, quae talia festa, e. gr. Annuntiationem B. M. V., impedita transfert hodie in primum diem aptum. Nullum vero festum II classis sicuti hodie ita neque in futurum translationi subiacebit. Propter easdem rationes nulla dominica II classis vel minor impedita a festo transfertur vel anticipatur. Ex modo dictis sequitur, quod festa accidentaliter a dominicis impedita his annis omnino sine ulla commemoratione excidunt. Quod cultui sanctorum non obstat, cum non saepius quam sexto quoque anno fiet. Quae omnia, quia rubricarum simplicitati valde favent et historismi notam vitant,

postulato vicesimo quarto exprimuntur: sicut officium dominicarum in posterum nec anticipabitur neque transferetur, ita nullum festum sancti, a dominica impeditum, transferetur nisi sit duplex I classis primum.

Sunt qui novum breviarium quasi totaliter a festis sanctorum expurgatum videre velint, ita ut longe maiore anni parte officium sit feriale. Isti ex parte quidem recte sentiunt, ex parte vero in historismum nimia propensitate ruunt. Recte in eo iudi-

cant, quod feriae quae pro vita christiana maximi momenti ab Ecclesia censentur — uti sunt praesertim feriae Quadragesimae vel quattuor temporum — festis et commerationibus sanctorum suffocantur: in hodierno officio etenim de his feriis non nisi commemoratio saepissime fit. Historismo infecti apparent, dum priorum saeculorum officium quasi totaliter feriale in typum perfectissimum breviarii pro omni tempore erigunt, non advertentes sensum christianum et genuinam pietatem christianam ita perpotenter sanctorum communionem etiam in officio breviarii indiguisse, ut cito in ipsum divinum officium sanctorum festivitates introductae sint. Neque etiam satis — relate ad breviarium reformandum — animadvertunt in communionem sanctorum sicut in aliis dogmatibus veram evolutionem adfuisse et quantum ad explicitam expressionem in fidei confessione et quantum ad universaliorem in pietatem christianam influxum. Non omne quod sensui christiano et pietati christianae saeculi VI plene satisfecit, sensum christianum pietatemque legitimam hodierni temporis perfecte quietat. Quod postulatum 22 exprimebat etiam his verum apparet considerationibus: typus perfectissimi breviarii non in antiquis codicibus quaerendus est, sed rationibus realibus in fide et legitima pietate fundatis fulciatur oportet.

Sanctorum communio inter principaliores veritates divinae fidei est, cum omnibus fidelibus quotidie symbolo Apostolorum inculcetur. Breviarium Romanum, quatenus publica totius Ecclesiae oratio, communionem sanctorum debet propterea eodem gradu extollere, quo haec in confessione vitaeque Ecclesiae viget. Quo modo id apte fiat, ex fine patebit, cui officia sanctorum in breviario ex legislatoris intentione inserviunt. Quae, prout attentè scrutanti apparebit, multo magis sunt in provocando nos ad virtutum actus exemplo sanctorum, de quibus officium celebratur, quam in eorum intercessionem imploranda. Nam ad virtutem excitant et lectiones historicae et capitula et responsoria versusque omnium horarum, dum ad sanctorum intercessionem recursus non fit nisi in orationibus. In

quibus hoc maximi momenti apparet: orationes in officiis sanctorum non diriguntur ad sanctos sed ad Deum, a quo opem, intercessione sanctorum, imploramus. Intercessio sanctorum itaque directe non petitur, sed supponitur. Ab hac regula ne orationes quidem ad B. M. V. in breviario generaliter excipiuntur, quamvis ipsa Mediatrix omnium gratiarum ab Ecclesia dicatur. Tali modo agendi clare ostenditur breviarium esse et remanere proprio sensu officium divinum, Deo dicatum, ad Deum directum, etiamsi alicuius diei officium in hodierno breviario de sanctis esse dicatur.

Quibus perspectis sequentia concluduntur: ad virtutes exemplis potissimum provocamur, quae lectionibus historicis de sanctis proponuntur. Cum unica lectio brevis admodum sit, non potest a generalibus ad particularia descendere ideoque eius in movendo efficacia maxime minuitur. Ex quo sequitur officia de sanctis cum unica lectione historica finem suum, qui est ad virtutem movere et meditationi lectionique spirituali materiam praebere, non attingere. Officia unius nocturni et unius historicae lectionis in hodierno breviario de sanctis sunt, qui neque bene noti neque universalis influxus in pietatem totius Ecclesiae sunt, ideoque concludendum videtur statuendo

postulatum vicesimum quintum: nullum officium nullaque octava cuiuslibet sancti sit unius nocturni ritusque simplicis et omnes octavae festaque simplicis ritus, quae in hodierno breviario inveniuntur, a breviario futuro tollantur.

Hoc modo 33 festa octavaeque ritus simplicis e hodierno breviario in futurum non assumentur. De remanentibus 248 festis duplicibus (vel semiduplicibus) nonnulla vi postulati 18 eliminabuntur, maxima tamen pars remanebunt; vi eiusdem postulati 18 quaedam nova festa introducenda ab initio, quaedam alia postea addenda erunt.

Quodsi postulati 18 tenorem cum dogmaticis huiusce paragraphi considerationibus comparabis, duo videbis: postulatum 18 potissimam confirmationem in his considerationibus invenit; ex altera parte re vera sanctorum communionem eodem

gradu in breviarium introducere videtur, quo illa in vita totius Ecclesiae viget. Esset itaque hoc postulatum in praesenti paragrapho repetendum tamquam conclusio principalis. Contra quam duae obiectiones afferri possunt, quae tamen de facili eliduntur:

Etiam si — primo — plurima festa sanctorum in brevium introducenda essent, breviarium non mutabitur in „officium sanctorum“ sed remanebit officium divinum proprio sensu, quoadusque Ecclesia orationes non ad sanctos dirigit sed ad Deum. Quod iam in praesenti observamus breviario, in quo ne ad Mariam Mediaticem quidem orationes diriguntur, sed ad Deum, quem precamur, ut ope Mediaticis et aliorum sanctorum nobis auxilium praestet. Hic precandi modus, ut in futuro breviario omnino retineatur, ponitur.

postulatum vicesimum sextum: orationes futuri breviarii in officiis sanctorum non ad sanctos dirigantur sed ad ipsum Deum, qui precandus est, ut sanctorum ope nobis auxilium ferat.

Etiam si, secundo, progressu temporum universalis Ecclesiae calendarium nullum diem habeat, qui memoriae alicuius sancti dicatus non sit, postulata 5, 6, 7, 8, 9 efficiunt ut novum breviarium numquam onerosius fiat, postulatis autem 29, 31, 32, et 33 omni alicuius momenti officio de tempore plenus in breviario futuro valor tribuitur.

Maxima denique differentia animadvertenda est dum de sanctorum festis agitur inter festa octavasque Domini et ceterorum sanctorum. Dum ceteri sancti conservi nostri sunt, Dominus Jesus Christus non solum via ad Deum verum etiam Deus ipse Dominusque est, cui serviamus quemque colamus totis viribus oportet. Quia ad Deum certissima via est, eius exemplo inhereamus ideoque illud ante oculos saepissime habeamus oportet. Quia non solum homo sed etiam Deus est, illi toto corde divinum cultum tribuamus. Quapropter ad complenda postulata 20 atque 21 et ad quoscumque errores vitandos sequens videtur statuendum

postulatum vicesimum septimum: omnes octavae Domini Nostri Jesu Christi iisdem ad minus in novo breviario privilegiis gaudeant, quae in hodierno habent.

Duplex noscitur esse fons fidei, s. Scripturam dico et Traditionem. Cum fides pietati sit norma, christiana pietas non S. Scriptura tantum verum etiam Traditione regulatur. Traditionis essentialis nota in hoc etiam sistit, quod viva est et in vivo cuiusque temporis magisterio Ecclesiae tota adest. Testes proinde Traditionis non solum quaerendi sunt inter scriptores documentaque aevi patristici, sed etiam posterioris, immo et novissimi temporis. Patres Ecclesiaeque Doctores eminent quidem inter testes non authenticos Traditionis, at omnes norunt illos non esse unicos eiusdem testes; de Traditione etenim probatos theologos scriptoresque ecclesiasticos etiam testificare, quamvis doctoris sanctique titulo careant, pari modo communiter admittitur. Ad sanctos Doctores posteriorum temporum iam in hodierno breviario Ecclesia recurrit, homilias lectionesque usurpans e scriptis ss. Bernardi, Bonaventurae, Thomae, Francisci Salesii, Roberti Bellarmini, Petri Canisii. At e s. Joanne a Cruce, Doctore mystico, nulla lectio habetur, dum ille profundissimam simul ac solidissimam tradit doctrinam spiritualem, quae in lectionibus breviari ante omnia quaerenda est. De cetero et fini ipsius breviarii consonum erit, si in officiis doctorum Ecclesiae lectiones e scriptis eorum semper ponantur, quae ita seligantur, ut peculiarem notam spiritualitatis cuique doctori propriae referant. Hoc modo doctores Ecclesiae non solum potentia sed actu etiam docebunt omnes recitantes breviarium. Quae expostulatio, cum iam pro hodierni breviarii indole rubricisque valorem plenum habeat, multo magis in componendo futuro breviario urgenda est. Nam novitas futuri breviarii per respectum ad hodiernum in hoc inter alia, erit, quod in secundo nocturno continuas habebit lectiones doctrinales de re ascetica mysticaque. Si iam in hodierno breviario desideratur, ut titulus doctoris Ecclesiae e. gr. s. Antonio Patavino vel Ephrem Syro colatus lectione aliqua e suis sermonibus scriptisque

desumpta iustificetur, si iam hodie maxime optatur, ut excerpta principaliora dentur e libro „De imitatione Christi“ vel de libro „Exercitiorum spiritualium“ a quibus magna ex parte „moderna“ devotio pendet, reformati breviari compositor ad omnes etiam posterioris novissimique temporis doctores continuo recurrere debet; secus lectiones doctrinales ascetico-mysticae secundi nocturni apte componi nequibunt. Evolutio doctrinae spiritualis namque effecit, ut essentialia eiusdem partes posterioribus temporibus enuntiatae sint. Neque ad solos sanctos, qui solmniter doctores ab Ecclesia declarati sunt, compositor breviarii se limitare poterit. Nam allatum exemplum libelli „de imitatione Christi“ clare ostendit essentialia capita doctrinae asceticae optime a venerabilibus quamvis non canonizatis servis Dei exposita esse. Quae exempla plura hic accumulari possent. Certum vero videtur lectiones illas optimis quibusque expressionibus doctrinae spiritualis costare deberensi breviarium finem suum perfecte consecuturum erit. Accedit memorata iam supra doctrinalis ratio: non canonizati, probati tamen scriptores, etiam veri fideque digni testes sunt Traditionis, ad quam omnes illae lectiones pertinent. Quibus conforme ponendum est

postulatum duodetrigesimum: lectiones secundi nocturni de re ascetica mysticaque componantur excerptis e scriptis omnium illorum probatorum auctorum, etiam non canonizatorum novissimique temporis, qui optime de materia ascetica mysticaque tractanda scripserunt; secundo-auctores, qui non sunt de canone canctorum, in rubricis quidem nominentur, in textu vero legendo anonyme tantum producantur; tertio-officia de sanctis doctoribus Ecclesiae pro secundo nocturno habeant semper tres lectiones e scriptis asceticis illius doctoris, cuius festum celebratur; quarto-recitantes facultatem habeant ad libitum eligendi lectiones secundi nocturni vel e proprio de tempore vel proprias sancti doctoris, ea tamen lege, ut responsoria qualitatem lectionum electarum sequantur et facultas praesens ad officia ordinaria limitetur.

Pars prima postulati modo enuntiati iam sufficienter fundata esse videtur. Secunda ideo posita est, quia nulla ratio allata est, ut antiquus usus non nisi sanctos publice in lectionibus ecclesiasticis nominandi in desuetudinem cadat. Huic venerabili usui dupliciter satisfieri poterit: in lectionibus vel nullus auctor nominabitur vel soli sancti Doctores nominatim legentur; legislatoris erit ex his duabus viis alteram eligere. Clarum e contra est in officio proprio cuiusque sancti doctoris lectiones secundi nocturni expresse sancto doctori adscribendas esse, de quo festum celebrabitur. Tertia postulati pars hunc finem habet, ut doctoris titulus coram sacerdotibus experimentaliter demonstratione doctrinae iustificetur, ut imprimis doctrina spiritualis omnium sine ulla exceptione Doctorum melius a sacerdotibus noscatur, qui secus quandoque eam omnino ignorent, accessu carentes ad originalia eorum opera; ut omnes doctores actu non potentia tantum sacerdotes universos doceant.

Quarta pars, officium ordinarium tantum respiciens, officii de tempore iura salvare simul ac cum proprio doctorum officio illud ita accommodare vult, ut neutrum ab altero detrimentum patiatur: cui pluris apparuerit ipsum tempus liturgicum servandum vel doctrina spiritualis in proprio de tempore tradita, lectiones secundi nocturni de tempore sumet; qui vero pluris aestimaverit doctrinam a sancto Doctore in proprio sui festi expressam, lectiones illas e proprio festi recitabit. Officium festivum quodcumque proprio regimine gaudet propterea de illo postulatum 28 silet.

Breviarium, quod sacerdotibus datur, illis non oneri sed spirituali utilitati esse debet. Hic breviario principalis finis semper fuit atque semper erit. Quae spiritualis utilitas multiplex esse potest atque multiples re ipsa ext. Vitam virtutum a breviario fovendam et quo modo fovendam esse in capitulo primo monstratum est. At sacerdotum saecularium, quibus principaliter breviarium Romanum destinatur est curam animarum exercere. Ex fine, cui breviarium destinatur, inferitur proinde

oportere novum breviarium apostolatam directe iuvet eique directe inserviat. Quod iam Pius X breviarium reformans expresserat, ita consequenter intelligendum est, ut novum breviarium non solum apostolicae sacerdotum curae non obstet, verum etiam illam directe iuvet.

Breviarium vitam apostolicam iuvare dupliciter potest, et mediate et immediate. Mediate quidem iuvat illam excitando vitam virtutum lectionibus trium nocturnorum, capitulis responsoriisque; mediate iuvat illam etiam doctrina spirituali, quam in lectionibus praesertim tradit: de quo fuse in capitulo primo actum est. Nunc considerandum remanet, quo modo breviarium apostolatui immediate servire possit.

Constat apostolatam magna ex parte in tradenda doctrina christiana esse. Quae si feriis hebdomadae in scholis christianis docetur, multo maiore tamen intensitate in ecclesiis omnibus fidelibus traditur diebus dominicis festisque, in quibus fideles maxime in ecclesias affluere solent. Illis nempe diebus et homiliae super evangeliiis lectionibusque missarum dominicalium festivarumve, illis plures sermones catechetici vel occasionales festivique a sacerdotibus habentur. Quod, si universalis moris in Ecclesia est, maxime tamen—ut videtur—in Polonia floret, ubi etiamsi plures in ecclesiis parochialibus legantur missae, quasi nulla earum sine aliquo sermone iis diebus celebratur. Ad quod opus sacerdotes adminiculis agent et recte iudicantes desiderant, ut lectiones dominicalis festivique officii illis adminiculo huic fiant. Leguntur quidem in hodierno breviario homiliae in missarum evangelia, sed de lectionibus missae, in quibus non raro profundissima doctrina continetur, breviarium perfectum perpetuumque silentium tenet. Homiliae autem in evangelia, in hodierno breviario recitatae, continuum textum patristicum tradere cupientes, post introductionem non raro abripiuntur, antequam ad principaliora capita doctrinae explicanda perveniant. Ita fit, ut dominicale festivumque officium hodierni breviiarii et rarum et non nisi parvum adminiculum praestet sacerdotibus in contionibus ad populum iis diebus praeparandis et

in meditatione lectioneque spirituali facienda. Cui malo ut reformatum breviarium occurrat, ponitur

postulatum undetrigesimum: officium dominicale festivumque breviarii mox reformandi ita componatur, ut-primi nocturni lectio prima textum integrum vel principales locos lectionis missae diei, secunda vero et tertia e scriptis Patrum probatorumve auctorum capitum doctrinae in lectione prima contentae explicationem det; ut -secundo-nocturni secundi lectio quarta textum integrum vel principales locos evangelii Missae diei, quinta vero et sexta capitum doctrinae in illo contentarum explicationem praebeat e scriptis Patrum probatorumque auctorum; ut-tertio-in tribus lectionibus tertii nocturni exempla opantur e S. Scriptura vel de vita sanctorum, quae doctrinam illustrent in praecedentibus duobus nocturnis traditam.

Ad postulatum hoc enuntiandum non solum necessitudinibus apostolicae vitae, cui breviarium inserviat oportet, verum etiam compositione hodierni breviarii invitamur, quod et homilias in evangelia Missae diei legendas semper praescribit et in officio dominicae primae in Quadragesima lectiones primi nocturni easdem habet ac in Missali leguntur. Et quidem, applicatur postulatum 29 non solum dominicis festisque de praecepto verum etiam cuilibet festivo officio. Cuius ratio est, quod officio hoc dies patronorum localium dioecesis, parochiae, familiarumque religiosarum diesque dedicationis templorum gaudent, quorum celebratio praecepto quidem non rugetur, attamen magna cum solemnitate, cum contionibus ad populum re ipsa obitur. Sacerdotes contionantes his diebus adiutorium non minimum pro meditando et contionando e novo breviario haurient, si praesens postulatum consequenter fideliterque executioni mandatum erit. Quoniam quasi quisque sanctorum, qui officio festivo in breviario praediti sunt, in aliquo loco vel in aliqua familia patroni titulo celebratur, regula hoc postulato statuta ad omnia indiscriminatim festa extenditur eiusdem ordinis, ad festa dico II et I classis: de festis octavisque Domini postulatum 27 iam tractavit.

Sacerdotes enarrationes in Missarum lectiones evangeliaque habituri illorum textum integrum cognoscant ante omnia necesse est. Quod ut facilius perficere possint, in breviario etiam eorum textus legatur neque sola initia pericoparum ponantur, sed textus integer lectionum evangeliorumque. Quodsi dominicales festivaeque pericopae notabiliter communem longitudinem unius lectionis in breviario superent, tunc saltem omnia principaliora capita doctrinae succincte substantialiterque textibus e pericopa excerptis perlegantur. Duae posteriores lectiones primi et secundi nocturni semper explicationem pericoparum contineant, quae non solum de Patribus verum etiam de posterioribus probatis scriptoribus sumatur atque ita componatur, ut omnia principaliora doctrinae capita succincte substantialiterque explicentur: hic est enim lectionum principalis finis, a quo ne ad momentum quidem earum computitor discedat. Ut finis hic attigatur, ad unam lectionem componendam recurrendum erit ad plures scriptores et hac quidem lege, ut unicuique loco S. Scripturae optima quaeque detur explicatio, etiamsi commentaria extra sanctorum canonem quaerenda sint. Realis utilitas spiritualis in his non autem forma compositionis semper quaerenda est. Ex hoc deducitur melius fore si auctorum nomina, a quibus explicationes textus sarci mutuabuntur, legenda non praescribantur, sed rubricarum tantum modo ponantur: quod corollarium postulato duodetrigesimo iungatur.

Omnes autem tertii nocturni lectiones exemplis incumbant doctrinam illustrantibus, quae in primo secundoque nocturno exposita et explicata est. Quae exempla a historia sacra Antiqui Novique Testamenti imprimis mutuentur quasi inspirantis Spiritus S. auctoritate commendata. Libri historici S. Scripturae, quorum momentum in breviario componendo postulatum decimum quartum multum minuere videbatur, vi praesentis postulati valorem suum recuperabunt, commodantes breviario illa, quae universalem certe sempiternumque valorem habent. Unusquisque autem S. Bibliorum liber historicus pulcherrima narrat exempla virtutum, uti e. gr. est heroica

obedientia erga Deum in Abraham offerente unicum suum filium Issac vel heroicus amor Christi in Apostolis, qui „ibant... gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati“ (Act 5,54). Per portam a praesenti postulato apertam omnes historici libri biblici in breviarium intrabunt quantum ad hoc, quod in illis praetiosissimum est. Exemplis biblicis illa addentur, quae de sanctorum vita sumentur. De sanctis autem illa tantum allegabuntur, quorum historica veritas vel canonizationis processu vel severo examine scientiae historicae constabit.

Postulatum 29 executioni mandatum re ipsa-ut videtur iuvabit sacerdotes in meditandis veritatibus, quae in Missis festivis proponuntur; iuvabit illos etiam in melius intelligenda atque fructuosius sapienda sacra liturgia; iuvabit denique, quoad magnam partem, in praedicando verbo Dei. In quo ut melius adiuvet, addendum est

postulatum trigesimum: in lectionibus historicis omnium locorum nomina-in rubricis, principales autem eventus exacta temporis indicatione -item in rubricis-praebeantur.

Propter duo sacerdotes non raro queritant: lectiones historicas ob id, inter alia, sibi adiutorio in praedicatione non esse, quod perplures eventus in vita sanctorum quasi in aëre volantes exhibent, sine exacta temporis sive loci indicatione. Eventus autem historici et vi motiva et veritate historica maxima ex parte spoliantur, si loci temporisque exacta indicatione earent. Inde venit, quod ad contiones de sanctis praeparandas sacerdotes quasi numquam ad lectiones breviari utiliter recurrunt. Quod quominus faciant, aliud adhuc impedimentum illis occurrit. Locodum nomina classica latinitate reddita, plurimis sacerdotibus saepe ignota neque ipsis contionantibus neque populo audienti sine antiquitatum vocabulario innotescunt: constat vero populum cuiusque aevi contemporanea modernaque postulare nomina. Quando isti defectus vi postulati 30 e medio ablati erunt, sacerdotes etiam ad praeparandas contiones de sanctis ad lectiones breviarii plena cum utilitate recurrent.

Utraque, loci temporisque, determinatio ne textum legendum nimis longum reddat, ad modum rubricarum non legendarum in parenthesibus ponatur; tempus historicum vero non nominibus sed numeris secundum modernum usum exprimatur, ne breviarii volumen sine necessitate augeatur. Librorum imprimendorum hodierni temporis ars tam perfecta est, ut plura media habeat ad faciliter distinguendum textum legendum a textu non legendo rubricarum: de quo inferius adhuc non pauca adicienda erunt. Patet ergo hoc 30 postulato non nisi realiter possibilia a compositore futuri breviarii flagitari.

Breviarium tempori liturgico accommodandum esse principium est ab omnibus semper admissum. Huic principio restituendo principaliter Pius X in breviarii reformatione a se peracta adlaborabat constatque regulas a se statutas sapientissimas esse. Huic principio maior adhuc valor praesentibus lucubrationibus attributus est, quae ultra Pii X statuta progrediuntur: dum Pianum breviarium unicam, hisce lucubrationibus adumbratum vi postulati decimi sexti duas habeat lectionum series de tempore, in primo secundoque nocturno. Sed si ad principium modo enuntiatum admittendum omnes spontanee ruimus, difficultas non parva est, qualis limes in eius applicatione prudenter eligi debeat. Duae namque sibi invicem obstant extremae postulationes: altera libentissime recitare vellet semper officium de tempore, altera vero mallet omni occurrente occasione officium de sanctis fieri, ita ut omnia ferialia officia quasi in oblivionem cadant. Posterior reformatione Pii X multum infirmata est, cuius praecipua laus haec est, quod officium de tempore suffocari non est passus. Priori extremae postulationi communicatio sanctorum obest, quae in breviario etiam suum locum habeat oportet: de quo postulata agebant vicesimum quintum sextumque. Media via itaque procedendum cum sit, haec prima admittenda est conclusio: aliquibus saltem diebus celebrandum est officium de sanctis habeatque lectiones, capitula, hymnos responsoriaque sibi non autem tempori-accommodata. Officia festiva de sanctis propriis constant

constabuntque in futuro breviario elementis; officia vero ordinaria plura habent habentque communia cum officio de tempore, psalmos nempe omnium horarum, lectionesque primi et secundi nocturni: vi postulati decimi sexti.

Ut et communicatio sanctorum in breviario celebretur et postulata vicesimum quintum sextumque valorem retineant et breviarium adhuc arctius, quam nunc fit, tempori liturgico nectatur, quaerendum ante omnia est, quibus feris quantum valorem legislatio ecclesiastica tribuat. Et Codex Iuris Canonici et liturgicae leges supra omnes ceteras ferias extollunt ferias Quadragesimae, Quattuor temporum quattuorundemque vigiliarum, Nativitatis dico Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum. Omnes isti dies poenitentiae agenda ex mente Ecclesiae destinantur, quae vi can. 1252 his diebus ieiunium imponit. Leges liturgicae vero his diebus et proprias orationes propriaeque formularia Missae addunt et preces feriae recitari iubent et psalmos ad poenitentiam pertinentes in breviario recitare praescribunt. Hic est primus supremusque feriarum ordo.

Secundus ordo feriarum Adventus paschalisque temporis constituitur. Haec propriis formulariis in Missali propriisque orationibus carent si quae dicendae sunt, a dominicis mutuantur; neque in legislatione canonica illis praeter vetitas tempore Adventus nuptias speciale quidquam attribuitur. Habent tamen peculiare notas peculiariaque privilegia, quibus a feriis „per annum“ distinguuntur, quae infimum tertiumque feriarum ordinem constituunt. Quae cum ita sint, futuri breviarii compositor ferias primi ordinis specialibus privilegiis cumulare debet, quippe quae eundem gradum in breviarii rubricis obtineant necesse est atque in vita Ecclesiae, in legislatione C. I. C. expressa, occupant. His conformem normam dat

postulatum trigesimum primum: in omni officio ordinario trium nocturnorum de sanctis ne dicantur de sanctis nisi lectiones historicae tertii nocturni cum suis responsoriis, lectiones doctrinales secundi nocturni (si quae propriae habeantur), cum

suis responsoriis, et orationes; cetera veri omnia de feria sint. Oratoines propriae feriarum privilegiatarum semper, etiam in officiis sanctorum recitentur, excentis festis de praecepto duplicibusque primariis primae classis. Invitatorium, festis de praecepto duplicibusque primariis primae classis. Invitatorium, hymni ceteraque de proprio vel communi sanctorum ne sumantur nisi, quando officium od modum festivi celebrabitur.

Vi huius postulati et feriarum iura maiore hodie gradu in futuro breviario salvabuntur-quod liturgiae amatoribus gaudio esse debet-et officium de sanctis ad iustas proportiones reducetur. Quoniam in officio ordinario de sanctis non dicentur nisi orationes lectionesque propriae, breviarium numquam fiet officium sanctorum, sed semper officium divinum remanebit, etiamsi omni die anni commemoratio, alicuius sancti agenda sit. Sancti non itroducentur essentialiter nisi ad exempla virtutum nobis proponenda, siquidem officia festiva de sanctis, propriis elementis constantia, rara admodum sunt eruntque. Hoc postulato simplicitati rubricarum etiam efficacissime medebitur: nam vi eiusdem postulati in officio ordinario quasi omnia officii elementa de Ordinario breviarii sumenda praescribuntur.

Exempla quaedam postulati 31. tenorem illustrent. Festum s. Thomae Aquinatis ritu duplici tempore Quadragesimae celebratur. Omnes feriae Quadragesimae orationes propriae habent et ideo unica oratio in officio dicenda de feria erit; de s. Thoma non dicentur nisi lectiones historicae propriae cum suis responsoriis, cetera autem omnia de breviarii Ordinario pro correspondente feria sumentur. Officium duplex s. Thomae, cadens in Quadragesima, vi postulati 32 poenitentiale erit, id est ad Laudes speciale canticum et psalmum „Miserere“ quarto loco ad Primam habebit. Festum s. Thomae Apost., in diem 21 decembris cadens, ritu duplici II classis celebratur ideoque officio festivo gaudet. Omnia sumenda in illo erunt de proprio vel de communi Apostolorum, quia feriae Adventus orationibus propriis carent. Officium autem s. Gabrielis Arch., ritu festivo in Quadragesima celebrandum, omnia ex hoc capite de proprio

habebit cum his tamen limitacionibus: unica oratio non de s. Archangelo sed de feria Quadragesimae erit; officium insuper poenitentiale erit, seu ad Primam psalmum „Miserere“ habebit. E. contra officium s. Ioseph Sponsi B. M. V., duplex primae classis de praecepto omnia de proprio, etiam unicum habebit; quia festum de praecepto est, feria Quadragesimae non commemorabitur nisi psalmo „Miserere“ addito ad Primam.

Feriae privilegiatae recensentur eadem atque hodie.

Sunt quidam sancti, quos Ecclesia modo specialiore extollere vult, attribuens eis vel officium festivum ad horas maiores, ex. gr. s. Caeciliae, vel saltem speciales hymnos proprios ad easdem maiores horas, e. gr. Teresiae Abulensi vel s. Joanni Cantio. Haec legislatoris intentio in breviario futuro omnino servanda videtur. Ex quo sequitur sanctos, qui specialibus hymnis propriis celebrantur ad horas maiores, in futuro breviario ad Matutinum, Laudes, Vesperas officium festivum habituros. Nunc ad rubricarum simplicitatem, cui praesens postulatum iam favebat, accuratius disserendam properandum est.

Orationem publicam, qualis est breviarii, generalibus Ecclesiae legibus accomodandam esse ab omnibus semper admissum est et, si quae novae rubricae introducebantur semper legislationi sui temporis conformes erant. Breviarii evolutio progressu vicissitudinibusque temporum effecit, ut nonnulla hodie obsoleta videantur, cum vel lex vel usus communis antiqui temporis, cui conformabantur, in desuetudinem cecidit. Si pro feriis Adventus hodiernae rubricae preces feriales praescribunt, origine breviarii recte quidem explicatur—nam religiosae familiae, a quibus breviarium Romanum ortum sumpserat, ieiunio se ad festa Nativitatis Domini praeparabant—hodiernae tamen legislationi non amplius accommodatur, quia neque legislatione canonica Codicis neque communi usu tempore Adventus ieiunium, poenitentiae instrumentum et signum, praescribitur. Temporis antea consuetudinum vestigium adest etiam in officiis dominicarum Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, neque cum legislatione concordat hodierna,

si feriae a Cineribus ad dominicam Quadragesimae „per annum“ vocantur, neque si pars breviarii verna et denominatio „officium de Quadragesima“ non nisi a dominica prima in Quadragesima incipit. Enumeratas a canonica Codicis legislatione discrepantias tollet

postulatum trigesimum secundum: primo-officium poenitentiale, seu psalmus „Miserere“ ad Primam, specialeque canticum in officio ordinario, quod secundo loco ad Laudes poni solet, ne dicatur nisi omnibus et solis diebus, quibus ieiunium a Codice praescribitur; secundo-nulla dominica habeat officium poenitentiale; tertio-loco cantici Moysis in officio poenitentiali sabbati sumatur canticum trium puerorum, quod hodie pro dominicis Quadragesimae praescribitur; quarto-breviarii pars verna officiumque Quadragesimale cum Matutino feriae IV Cinerum incipiat.

Prima postulati pars maiorem conformitatem cum legislatione Codicis simul ac maiorem rubricarum simplicitatem intendit: ne scilicet sacerdotes ancipites haereant in quaestione solvenda, quaenam sint vigiliae communes cum precibus ferialibus ad horas. Pars secunda non est nisi corollarium primae. Nititur autem hac ratione, quod nulla causa iuridica adestur officium dominicale etiam in Quadragesima poenitentialem notam habeat, cum Ecclesia legem ieiunii non imponens quasi refrigerium quoddam fidelibus poenitentibus commodat. Accedit positiva ratio contra introducendum officium poenitentiale dominicis Quadragesimae: omnibus dominicis, maxime autem dominicis Quadragesimae-ut est in Polonia-sacerdotes circa animarum curam plurimas diuturnasque occupationes habent ideoque egent his diebus officio, quod et duratione relative brevius et compositione simplicius sit quam aliis diebus. Constat vero hodiernis rubricis officia dominicalia tempore Quadragesimae et complicari et allongari, dum officii dominicalis abbreviatio omnino postulatur.

Ex secunda tertia fluit praesentis postulati pars: Canticum Moysis de sabbato, quod diebus cum ieiunio praecepto dicendum est in officio feriali, omnium longissimum est et suis 61

versibus 3 communis longitudinis psalmis aequivalet. Sed idem canticum in alia, eaque breviori legitur editione etiam in officio poenitentiali feriae V. Propter hanc rationem iacturae magnae non erit, si in illa longiore editione sabbato non legatur. Loco huius longissimi cantici ponatur in officio feriali poenitentialique sabbati secunda editio cantici trium puerorum, quae hodie dominicis Quadragesimae praescribitur. Haec editio cantici trium puerorum, tam brevis est, ut officio breviori maxime conveniens sit, et tam pulchra iudicatur, ut operae pretium sit canticum hoc in utraque lectione in breviarii ordinario legendum disponere.

Quartae partis est discrepantiam e medio tollere inter officii a feria IV Cinerum ad dominicam I in Quadragesima qualitatem et denominationem. Iustificatur praeterea hac ratione, quod tres ceterae breviarii partes incipiunt illis diebus, quibus nova periodus anni liturgici aperitur. Initium novae periodi autem longe principalius est, quam dies hebdomadis, in quam hoc initium cadit. Quodsi Adventus et prima breviarii pars incipiat ab officio dominicae I Adventus et periodus „per annum“ dicta ab officio dominicae I post Pentecosten, imitandum est in hac mutatione partium breviarii id hoc principalius est, nempe coincidentia mutationis partis breviarii cum initio novae periodi anni liturgici.

Ex duobus ultimis postulatis apparet, quibus elementis officium reddatur „poenitentiale“: psalmo „Miserere“ ad Primam in omni officio, speciali cantico ad Laudes, quod loco cantici communiter recitandi in officio ordinario dicendum est; Nam officium festivum de sanctis fit poenitentiale per solam additionem psalmi „Miserere“ ad Primam.

Quo perfectior aliqua res est, eo simplicior fit. Haec universalis veritas etiam breviario applicanda est. Quam in breviario simplicitatem non solum interna eius perfectio imponit verum etiam multiplex recitantium utilitas. Quo enim rubricae breviarii simpliciores erunt, eo perfectius observabuntur, nam rubricarum complicatio facillime ad errorem quoad officii

qualitatem ducere potest. Qui res e fine suo pensandae sunt, et breviarium necessitudinibus recitantium accommodandum cum sit, haec, quia multiplicis admodum generis sunt, omnimodam simplicitatem in rubricis non admittunt. Quodsi omnimoda simplicitas in rubricis assequi nequit, omnes tamen inutiles complicationes in rubricis evitentur oportet.

Plura ex supra dictis iam huic simplicitati rubricarum iam consulebant. Favebat namque illi, quod omnis nocturnus tribus psalmis constare ponebatur; quod omnes commemorationes proscribentur; quod omnia festa ritus duplicis et trium nocturnorum esse statuebantur, ceteraque. Si superius propter alias rationes rubricarum simplicitati consulebatur, nunc eadem rubricae praecise considerandae sunt sub aspectu simplicitatis complicationisque, ut simplicitas promoveatur, complicatio inutilis damnetur. Simplificationes in rubricis, quae introducendae videntur et faciliter introduci possunt, exprimuntur

postulato trigesimo tertio: antiphonae omnes ad omnes horas et in omni officio semper duplicentur; secundo-psalmus „Miserere“ diebus, quibus a Codice ieiunium praescribitur non addatur Laudibus sed quarto loco recitetur ad Primam; tertio-dominicae et hebdomadae post Pentecosten a prima usque ad vicesimam secundam ne distinguantur a dominicis mensium, quibus occurrunt, sed unico continuo cyclo disponantur.

Neque difficilis est iustificatio eorum, quae modo postulata sunt. Et quidem primo, nulla videtur apparere rationalis causa, cur in officiis simplicibus semiduplicibusque hodierni breviarii ad omnes horas, in duplicibus autem ad horas minores antiphonae ante psalmos ita mutilentur, ut quod mutilum recitatur, sensu persaepe careat. Talis mutilatio ad distinguendum inter diversos gradus qualitatesque officiorum necessaria non est ideoque omnino evitanda erit. Usus autem addendi psalmum „Miserere“ primo loco ad Laudes perturbationem causat in officio, nam primus psalmus e Laudibus tamquam ultimus ad Primam ponendus est. Hoc etiam volumen hodierni breviarii auget, quia et duo distincta formularia ad Laudes

necessaria evaserunt et psalmus e Laudibus ad Primam translatus bis, in primo Laudum formulario et in Prima, imprimendus erat. E contra regula secunda praesentis postulati et simplicitatem breviarii auget et volumen eius minuit. Etenim loco duorum formulariorum ad Laudes unicum vi huius regulae in futuro breviario erit, quod tamen duo cantica continebit, alterum commune, alterum pro diebus „poenitentialibus“. Pro recitando psalmo „Miserere“ folia separata inservire poterunt, sicut inserviunt pro recitando „Benedictus“ vel „Magnificat“: quae cantica non imprimuntur semper, quandocumque recitanda sunt, sed in ordinario breviarii tantum et in foliis separatis.

Si tertia regula executioni mandata erit, valde rubricarum simplicitati consulere et recitantes a perplexitatibus liberabit: neque enim amplius dubitabunt, de qua hebdomada augusti, septembris, octobris vel novembris lectiones primi secundique nocturni sumendae sint. Volumen breviarii etiam alleviabitur, nam pro enumeratis quattuor mensibus in hodierno breviario 20 hebdomadae cum suis lectionibus disponuntur; quibus addendae sunt 11 hebdomadae post Pentecosten ante mensem agustum in proprio de tempore dispositae—quod efficit 31 hebdomadas cum suis lectionibus. Vi regulae tertiae non erunt disponendae nisi 28 hebdomadae post Pentecosten, nempe illae 24 ordinariae et 4 dominicae intercalariae. Materia pro lectionibus de tempore his 4 intercalariis hebdomadibus—in primo secundoque nocturno—eligatur secundarii valoris, ut sine maiore detrimento omitti possit, vel ita disponatur, ut ea, quae post Epiphaniam legi nequibant, post Pentecosten ponantur; habeat itaque talem indolem, ut pluris non intersit, utrum post Epiphaniam recitetur an post Pentecosten.

Ultimum principium, quod compositioni novi breviarii praelucere debet, ex parte artis libros imprimendi desumitur et statim absolute ponitur tamquam

postulatum trigesimum quartum: breviarii reformati compositor ne spernat ullam utilitatem, quam hodierna ars libros

imprimendi ad componendum textum breviarii suppeditare poterit.

Ad hoc principium iam supra recurrebatur, dum postulabatur, ut per modum rubricarum in parenthesisibus et moderna locorum nomina in patria lingua et historica „data“ in lectionibus tertii nocturni ponantur. Ceterae editiones prophanae et sacrae a familiis religionis curatae ostendunt hoc sine ulla difficultate attingi posse; nulla ergo ratio videtur adesse, quare breviarii compositor hoc abhorreat. At clarum est facultatibus, quae ex arte libros imprimendi fluunt, prudenter utendum esse, ne breviarii textus typographico ludo artificioso assimiletur. Cum arte libros imprimendi connectitur ars chartam papyraceam conficiendi, quae non minus quam illa progressit. Etiam ex hac breviarii compositor profectum trahat oportet, quippe quae chartam simul solissimam ac tenuissimam sine difficultate ulla efficit. Facilitas talis chartae obtinendae non unam in supradictis fundabat conclusionem; memorare sufficiat 2 continuas lectionum series pro primo et secundo nocturno in proprio de tempore loco unice seriei in hodierno breviario.

4. BREVIARII MOX COMPONENDI QUAEDAM SPECIALES RUBRICAE

Capitulum praesens post tria praecedentia superfluum non est. Nam verum quidem est plura iam in postulatis supra expositis non solum quantum ad generalia sed etiam quantum ad particularia determinata esse, at pari modo certum etiam est plura dahuc indeterminata remanere. Et hoc propter duas rationes. Primo quidem, quia postulata e natura sua magis ad generalia quam ad particularia tendunt; secundo autem, quia plura sunt, quae ad postulata principiaque generalia difficiliter reducuntur et tamen pro breviario componendo magni momenti sunt. Haec omnia infra exponentur per modum particularium rubricarum. Quodsi contingat quaedam in praecedentibus capitulis adhuc probata e principiisque deducta non esse, hic simul cum suis quodque iuridicis liturgicisque rationibus ponentur.

Ante omnia animadvertendum est non omnes hic rubricas describi, sed illas tantum, quae additiones variationesque secum ferunt per respectum ad rubricas hodierni breviarii, a Pio X introducti, neque in superioribus sufficienter explicata sunt; quidquid superius sufficienter probatum explicatumque est, his non invenietur, ut repetitiones aequo frequentiores vitentur.

a) D e c a l e n d a r i o

E calendario officiis divinis celebrandis inservienti amoveantur omnia festa omnesque octavae ritus simplicis-vi postulati vicesimi quinti. Dominica Nominis Jesu transferatur in perpetuum in dominicam primam post Circumcisionem, etiam si haec infra octavam Epiphaniae cadat. Item dominica Christi Regis sit ultima anni liturgici. Introducantur denique tot et talia sanctorum festa, ut etiam sub respectu cultus sanctorum breviarium sit non solum Romanum, verum etiam catholicum: hoc vi postulati duodevicesimi.

Mutetur ordo dignitatis dierum infra octavas Paschatis, Pentecostes et Epiphaniae in duplicia primae classis: quod naturaliter e postulato sexto sequitur.

b) B r e v i a r i i l i b e r d e s c r i b i t u r

Primo in loco ponantur rubricae breviarii ita in unum corpus redactae, ut non sit necessarium recurrere ad plura documenta officialia, historico ordine disposita, sicut minus feliciter hodiernum breviarium facit. Neque enim breviarii est rubricarum evolutionem docere, sed regulas proponere secundum quas hic et nunc officium componendum sit. In fine rubricarum ponatur caput de obligatione breviarii recitandi, quod paucis clarisque verbis proponat doctrinam expositam superius in postulatis septimo, nono decimoque. Haec obligations specificatio ideo magni momenti est, quia hoc modo onus breviarii substantialiter alleviari supra ostensum est, ubi memorata postulata proponebantur.

Post ordinarium, in quod postulata huiusce disseratiunculae non paucas mutationes introducunt, proponatur Psalterium, quod hodiernum ordinem per septem hebdomadae dies immutatum servabit, cum tribus solis exceptionibus: psalmus „Miserere“ in officio poenitentiali legetur ad Primam quarto loco; sabbatis, quibus ieiunium a Codice praescribitur, loco cantici Moysis legetur secunda editio cantici trium puerorum, hodie dominicis Quadragesimae legenda; dominicae a Septuagesima ad dominicam Palmarum psalterium omnino identicum cum ceteris dominicis habebunt. Ad volumen breviarii minuendum unica psalmorum series ad Laudes disponetur et „poenitentiale“ canticum immediate post canticum commune inseretur.

Sequetur proprium de tempore, quod pro omni die anni duas lectionum series continebit, e S. Scriptura pro primo et e scriptoribus asceticis mysticisque pro secundo nocturno. Officium vero festivum dominicarum festorumque de tempore habebit 3 series lectionum pro tribus nocturnis, de lectione Missae pro primo, de evangelio Missae pro secundo, de exemplis illustrantibus doctrinam priorum nocturnorum pro tertio nocturno: nam vi postulati undetricesimi officium dominicale festivumque identica erunt.

Subsequens sanctorum proprium principaliter dabit lectiones historicas pro tertio nocturno; pro doctoribus Ecclesiae habebuntur etiam propriae lectiones doctrinales de re ascetica mysticaque pro secundo nocturno, de scriptis Doctoris, cuius festum agitur, compilatae. Officia festiva sanctorum afferent nonnumquam proprias lectiones non solum pro tertio, verum etiam pro secundo et primo nocturno, id est lectiones de lectione evangelioque Missae festivae-vi postulati undetricesimi.

Commune sanctorum retinebit immutatum Psalterium hodierni breviarii, essentialia autem mutationes patietur in lectionibus. Quia principaliter festivis officiis destinabitur, lectiones trium nocturnorum habebit conformes eidem postulato undetricesimo, sicut modo explicatum est; id est de lectione Missae pro nocturno primo, de evangelio Missae festivae pro

secundo, de exemplis illustrantibus doctrinam virtutesque sancti pro tertio nocturno. Officium vero S. Mariae in sabbato, quia feriali omnino assimilabitur, vi postulati vicesimi septimi, in futuro breviario non amplius inveniatur.

c) De officiorum qualitate

Omnia et sola officia feriarum sint simplicia. Officium simplex unicum nocturnum habebit, quod 3 tantum psalmis totidemque lectionibus constabit. Officium festorum sit semper duplex, in sensu a hodiernis rubricis definito, seu habeat tres nocturnos cum suis lectionibus, nisi tamen aliquando speciales rubricae pro aliquo festo aliter statuant.

Pro nocturno Matutini, quando in officio simplici unicus dicendus erit, sumatur semper nocturnus primus Psalterii pro illo die.

Officia omnium dominicarum, festorum, octavarum dierumque infra octavas sint semper duplicia. Duplicia minora quae hodie semiduplicia vocantur-simpliciter duplicia, duplicia maiora habeant officium ordinarium. Duplicia secundae primaeque classis, sicut etiam integrae octavae festorum Domini, habeant semper officium festivum.

Officium ordinarium eandem atque nunc habet indolem, praeter modificationes, quas imponunt postulata 15—17, 25, 28, 31 et 32. Officium festivum item eandem atque nunc habeat privilegia, spectatis variationibus, quas introducunt postulata 20, 21, 23, 27, 28, 29 praesertim et 31 secundumque.

Officium S. Mariae in sabbato cessabit in futuro breviario vi postulati vicesimi septimi.

d) De translationibus et commemorationibus

Ordo praecedentiae inter diversa festa feriasque nunc vigen omnino servandus videtur cum in occurrentia tum in concurrentia festorum feriarumque eo sensu, quod vi postulati sexti officium semper de dignissimo dicetur exclusa quacum-

que commemoratione minus digni, praeter unicam commerationem praecedentis vel sequentis ad Vesperas. Ad Laudes itaque semper in omnique officio unica oratio dicenda erit, ad Vesperas vero praeter orationem de digniore commemorabitur sequens vel praecedens minus dignum, unica tantum commemoratione.

In primum diem aptum-vi postulati vicesimi quarti-non transferentur nisi duplicia primae classis primaria. Cetera festa dominicaeque omnes, quae aliquo anno suis diebus impediuntur, nullam in officio illius anni mentionem habebunt.

d) De precibus ante divinum officium

Nante inceptum officium diei cum in privato tum in publica recitatione dicatur secreto Pater, Ave, Aperi Domine. Cuius praescriptionis rationes sequentes numerantur: supplicatur primo auxilium universale a Deo Patre recitatione orationis dominicae; idem auxilium quantum ad omnia petitur etiam per manus Mediatricis in recitatione „Ave Maria“; auxilium denique speciale pro fructuosa recitatione breviari rogatur oratione „Aperi Domine“. Propter hanc rationem memorata oratio „Aperi“ omnino ante divinum officium recitandum praescribenda videtur. Secus vero de Credo sentiendum est, quod confessioni fidei inservit. Fidei in Deum expressio aptiorem locum habet in medio officio quam ante officium inceptum, ideoque recte fiet, si Credo ad recitandum Primae reservetur.

Ante publicam recitationem ceterarum horarum maiorum minorumque regulae hucusque vigentes serventur, cum hac exceptione, quod ante Primam non dicetur amplius Credo, sed tantum Pater et Ave.

In privata recitatione omnes horae, praeter Matutinum, de quo supra dictum est, absolute incipiuntur a „Deus in adiutorium“. Hoc et breviarii abbreviatione imponitur, quam postulatum quintum regulat, et ad primitivam breviarii traditionem alludit: siquidem recitatio Pater et Ave ante singulas horas posterioris est originis.

f) D e M a t u t i n o

Qualitas officii ad Matutinum maxima ex parte iam regulata est postulatis 8, 14—17, 25, 27—32, collatis tamen-sicut semper faciendum est-cum rubricis hodierni breviarii. Quod autem postulata enumerata non expresserunt non est minoris momenti: omne officium matutinum hymno Te Deum absolvatur, qui hymnus eodem modo ac nunc praecedentibus nectendus est. Huius novitatis ratio est eximia profunditas inspirationis religiosae poeticaeque, quam hymnus ille ostendit, nulloque videtur esse reale fundamentum, propter quod hymnus ille sit in officio feriali omittendus. Officium divinum Deo laudando propriissime inservit, quem finem maximo in gradu exsequitur hymnus iste, sicut ipsa eiusdem initialia verba clare indicant.

g) D e L a u d i b u s

Additiones et variationes, quae in rubricas hodiernas Laudes spectantes introducendae sunt, exprimuntur postulatis 6, 20, 27, 31—33. Operae pretium vero erit explicare, quo modo Laudes finiendae sint:

Ante unicam orationem ne dicatur in posterum „Dominus vobiscum“, sed immediate post versus responsonemque incipiatur oratio a verbis „Oremus“. In hodierno etenim breviario quedam superabundantia huius exoptationis observatur, quippe quae eandem orationem et immediate praecedit et sequitur. Pro hoc usu servando non militat nisi ratio historica, at historicismus a breviario reformando excluditur, ut saepius iam dictum erat. Quodsi semel dicenda sit et semel dicta sufficere videatur, melius elegantiusque censetur fieri, si immediate post orationem completam dicatur. Neque enim indolem talem ex natura sua habet, ut orationem necessario introducere debeat; post orationem vero et ante „Benedicamus Domino“ melius intelligitur. Haec valent pro publico modo recitandi, cum pro Laudibus tum pro ceteris omnibus horis, pro Matutino a Laudibus separato, pro Tertia, Sexta, Nona Vesperisque.

Aliquid non spernendum advertere liceat: exoptatio „Dominus vobiscum-Et cum spiritu tuo“ sensum proprium non habet nisi quando plures recitantes adsunt; praeter obvium sensum verborum est, si recitans respondet sibimet ipsi „Et cum spiritu tuo“. Propterea statuendum videtur hanc exoptationem omitendam esse ad omnes horas in solitaria recitatione, dicendam vero in recitatione in communi, publica privataque.

In recitatione privata dicto „Fidelium animae... Amen“ nihil amplius dicendum erit, sed sic absolute et Laudes et ceterae omnes horae finiantur. In choro autem hodiernae rubricae observentur, quae et Pater et convenientem antiphonam finalem praecipunt.

h) De Prima

Ut qualitas officii Primae in novo breviario per respectum ad hodiernum perspiciatur, consideranda sunt postulata 5, 10, 12, 13, 19, 27, 31—33. Ex his omnibus maximi momenti sunt postulata quantum decimumque, quorum vi Prima transformatur in substantiales preces matutinas cuiusque sacerdotis. Quod quo modo fiat, nunc in particulari explicandum est.

Et quidem mutationes his postulatis introductae afficientur alteram partem Primae, quae psalmos sequitur multiforbibusque constat orationibus, quarum haec quidem inamovibiliter ad omne officium pertinent, illae vero, quae hodie preces dominicales ferialesque vocantur, non nisi certis diebus dicendae a hodiernis rubricis ordinantur. Ex his omnibus in unum redactis constituendae sunt „preces matutinae“ futuri breviarii: quod postulato quinto imponitur.

Bene ordinatae matutinae preces his partibus constare videntur: primo Deo laudem dent oportet; secundo-fidem amoremque in Deum expriment; tertio-auxilium divinum ad opus diurnum protectionemque divinam efflagitent. Quodsi oculos ad secundam partem Primae in hodierno breviario vertes, videbis illam munus precum matutinarum substantia tenus replere, imperfecte tamen propter carentiam ordinis, repetitiones

inutiles et carentiam illorum, quae in matutinis precibus essentialia putantur. Ordine perfectiore introducto, repetitionibus inutilibus evitatis, quibusdam maioris momenti additis omnibusque in unum redactis secundae partis Primae medulla haec erit, quae precum matutinarum munus exercebit atque in omni officio aderit:

Ad laudem Deo reddendam ordinabuntur: Capitulum „Regi saeculorum“, quod semper, etiam in officio feriali recitandum erit, quia difficillime invenitur profundior religionis erga Deum expressio. Sequentur, e hodiernis precibus dominicalibus desumpti, versus cum suis responsoriis: „Et ego ad Te, Domine, clamavi... Repleatur os meum laude...“.

Ad professionem fidei amorisque erga Deum destinabuntur: „Credo“, quod professionem fidei continet, immediate post responsionem ad versum „Repleatur os meum laude“ clara voce recitandum vel etiam solemniter ab omnibus cantandum erit: siquidem confessio fidei omni solemnitate externa digna est. Sequetur professio filiationis nostrae adoptivae erga Deum in recitatione vel etiam cantu solemniter „Pater noster“: oratio dominica omnino dignissima invenitur, quae in officio divino non solum secreto, sed semel saltem solemniter recitetur vel cantetur. His iungetur sollemnis professio amoris erga Deum: „Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde tuo. R. Domine, tu scis, quia amo te. V. Ex tota anima tua. R. Domine, tu scis, quia amo te. V. Ex omnibus viribus tuis. R. Domine, tu omnia nosti; tu scis, quia amo te.“. Nemo non videt amoris hanc professionem verbis S. Scripturae conflata esse.

Ad auxilium divinum implorandum servient: primo petitiones veniae miserationisque divinae: „Domine averte faciem tuam... Cor mundum crea in me... Ne proicias me a facie tua... Redde mihi laetitiam“. Veniet deinde responsorium breve: „Christe, Fili Dei vivi...“. Divina opes pro labore diurno imploratur iam a versu, qui immediate sequitur responsorium breve: „Exsurge, Christe, adiuva nos... Deus in adiutorium meum... (quod semel tantum dicendum erit)...“. Deinde, omisso „Domi-

nus vobiscum“, dicitur oratio „Oremus. Domine, Deus omnipotens...“. Post orationem subiungetur immediate versus „Respice in servos tuos, Domine... Oremus. Dirigere et sanctificare, regere et gubernare...“.

In privata recitatione, omisso „Jube domne benedicere“ sequetur immediate benedictio „Dies et actus nostros“, lectio brevis conveniens cum sua finali clausula et benedictio „Dominus nos benedicat... Et fidelium animae... Amen“ claudit totum officium Primae; neque quidquam in privata recitatione amplius dicitur, etiamsi Prima separatim recitetur.

Formula introductoria ante benedictiones „Jube domne“, quia originem sumit a publica recitatione, cum qua tam arte connectitur, ut in privata recitatione hodierni breviarii vocativus „domne“ in „Domine“ mutandus sit, non videtur rationaliter dici in privata recitatione, in qua plerumque solus unusque sacerdos adest. Propter has rationes omittatur non solum ad Primam, sed ubicumque in privata recitatione breviarii.

In choro autem post orationem „Dirigere et sanctificare...“ legatur martyrologium, quo lecto dicatur „Pretiosa... Sancta Maria et omnes sancti...“. Haec quia cum publica lectione martyrologii in choro connexa sunt, ad privatam recitationem vi postulati decimi sexti non pertinent. Dicta in choro oratione „Sancta Maria et omnes sancti“ transitur ad benedictionem, „Jube domne benedicere. Dies et actus nostros...“, quam sequitur conveniens officio lectio brevis cum sua ordinaria clausula finali, „Tu autem... Deo gratias“. Immediate postea subiungatur benedictio finalis „Dominus nos benedicat... Et fidelium animae... Amen“, qua dicta clauditur officium Primae recitatione „Pater noster“.

Quae de secunda parte Primae dicta sunt, postulato decimo tertio adamussim executioni mandando nitebantur. Martyrologium autem et ea, quae ei in publica recitatione iungenda sunt, ideo post omnes preces circa finem Primae ponuntur, quia hoc et postulato 19 imponitur et Martyrologium exemplis sanctorum, quos enumerat, invitamentum est ad vitam virtuo-

sam in occupationibus diurnis, ideoque potius circa finem Primae ponendum est: quod enim ultimo loco enuntiatur, memoriae magis inhaeret.

i) **H o r a e m i n o r e s**

Tertia, sexta, nona sufficienter reguntur postulato 5, 27, 31—33 et propterea nihil de illis hoc loco dicendum remanet.

j) **D e V e s p e r i s**

Etiam de Vesperis hoc loco nihil novum remanet dicendum, quia omnia et in generali et in particulari sufficienter determinata sunt postulatis 5, 6, 12, 27, 31—33. E quibus duo forsitan non sine ratione utilitateque repetere licebit: Vesperas admittere unicam commemorationem sequentis vel praecedentis praeter orationem diei et preces dictas feriales hodiernarum Vesperarum omni officio ordinario festivoque deinceps incorporatum iri, ut precum vespertinarum munus expleant.

k) **D e C o m p l e t o r i o**

Completorium futuri breviarii duas maioris momenti innovationes continebit vi postulati quinti et praesertim decimi tertii. Ut tempus oportunum detur ad examen conscientiae, quod faciendum Codex a sacerdotibus expostulat, loco „Pater noster“ ante confessionem generalem introducenda est rubrica: „Dicto „Adiutorium nostrum...“ cum sua responsione pausat aliquod tempus“.

Maiori transformationi subiacebit vi eiusdem postulati finalis pars Completorii. Optatur siquidem, ut e precibus hodierni Completorii eligantur atque ordinario futuri Completorii in perpetuum pro omni die incorporarentur illae petitiones, quae necessitudines diei finientis reddunt.

Dies finiens exigit, ut claudatur ultimis actibus reverentiae erga Deum et ultimis petitionibus ante quietem nocturnam. Quodsi sub hoc aspectu preces hodierni Completorii scrui-

tes, videbis in illis quaedam, quae huic duplici fini serviunt, et quaedam, quae sunt praeter hos duos fines. „Kyrie eleison. Pater. Credo“ — quibus hodiernae preces Completorii aperiuntur-re ipsa videntur esse praeter dictos duos fines, neque enim suo tenore exprimunt speciales necessitudinse diei finientis, sed tam generales sunt, ut cuique aptari iungique possint. In illis vero, quae necessitudines diei finientis bene reddunt, repetitiones difficulter iustificandae adsunt: e. gr. petitio precum „Benedicat et custodiat“ quasi ad verbum repetitur in finali benedictione, qua Completorium clauditur, „Benedicat et custodiat nos omnipotens Deus“. Postulatum quintum, ut nempe totum officium commode intra unam horam recitati queat, cogit ad reicienda a precibus Completorii omnia, quae sunt praeter dictum duplicem finem, omnesque repetitiones. Quo peracto finalis pars Completorii hoc modo ordinabitur:

Repetita antiphona post canticum „Nunc dimittis“ ponentur i nomni officio ultimae reverentiae erga Deum: „Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum... Benedicamus Patrem et Filium et Spiritum S...“; Sequentur ultimae preces: „Dignare Domine nocte ista... Miserere nostri... Fiat misericordia tua... Domine exaudi orationem meam... Oremus. Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam...“. Reliqua usque ad finalem benedictionem immutata desumentur ex hodierno ordinario Completorii.

Post convenientem antiphonam finalem B. M. V. dicitur „Divinum auxilium. Amen“, quod dicto terminatur officium modo privato recitatum neque quidquam amplius dicendum remanet. In recitatione choralis adicietur adhuc „Pater, Ave. Credo“.

1) De symbolis: Apostolorum et „Quicumque“.

In breviarii privata recitatione symbolum Apostolorum non dicitur nisi semel, in precibus nempe matutinis Primae, sicut supra explixatum est, ubi de Prima res erat. In choro

autem idem symbolum bis in die recitabitur; in precibus matutinis Primae et post completum officium.

Symbolum „Quicumque“, Athanasianum dictum, cum in choro tum in privata recitatione non dicetur nisi semel in anno, in precibus matutinis Primae loco symboli Apostolorum, in officio dominicae SS. Trinitatis, nam maxime in fide Trinitatis exprimenda totum est.

l) De precibus ferialibus

Sicuti omnes commemorationes ita etiam omnes preces, cum dominicales tum feriales ceteris dicendis addendae, a futuro breviario tollentur. Quaecumque enim in dominicalibus ferialibusque precibus hodierni breviarii quidquam utilitatis habebant, incorporata sunt ordinario Primae, Vesperarum Completoriique tamquam essentialis eiusdem pers. Preces autem feriales horarum minorum, diebus poenitentiae dicatis recitandae, nullam specialis momenti notam ostendunt, qua iustificetur allongatio officii divini illis diebus, quibus e contra proprie officii breviatio maxime desideratur.

m) De antiphonis finalibus B. M. V. et de suffragio sanctorum

Conveniens tempori liturgico antiphona finalis B. M. V. non dicitur in privata recitatione nisi semel in die, post finitum nempe Completorium; in choro servandae erunt hodiernae rubricae. Antiphona finalis „Alma Redemptoris Mater“ deinceps ne desinat nisi cum Completorio feriae tertiae ante Cineres, seu occupet totam hiemalem partem futuri breviarii: hoc propter suam eximiam pulchritudinem.

Neque suffragium sanctorum neque commemoratio de Cruce vi postulati sexti in futuro breviario dicentur, eo vel magis, quod omnia quae in suffragio sanctorum rogantur, iam continebuntur in precibus vespertinis futuri breviarii ad Vesperas.